









1720.

1. Berneggerus, Joh. Ernestus : De alimentis, coquaque  
compositione in' detrahenda & Falcidia, occasione  
p 68 ff. at. l. Falci V.
- 2<sup>o</sup> Et 3<sup>o</sup> Stmuller, Iacob. Tiberio : De jure triplex  
2 Sept. 1720 : 1725
3. Fichtnerus, Ioh. Georgius : Infirmitatis commoda.
4. Hildebrandus, Henricus : De iure actione employ-  
learii Germaniae annexa.
5. Hildebrandus, Henricus : De injuria in magis-  
tratum commoda.
6. Lincken, Georgius Henricus : De jure, quo quis  
utiliter in suo. Von dem Recht auf den Sprungen.
7. Polcke, Iacob. Christian : De verte palmata.
8. Schranger, Christ. Gottlob : De jure victoriae et  
servitorum incorporales.

9<sup>a</sup><sup>o</sup> Schwarzius, Christian Gottlobus : De jure Helv.

2 Saempt. 1720 - 1741

1721.

1. Fichtnerus, Joh. Georgius : Exercitatio ei's cultus  
exhibens modiciorum pulm.

2. Gerike, Petrus : De iuris novitatis in medicina.

3<sup>a</sup><sup>b</sup> Hildebrandt, Henricus : De varallagis subjectorum  
non inferente. Lichten. Mem. Klein Unterthau.

1 Saempt. 1721 - 1737

4. Koelery, Fr. David : Historia Goricii juris  
Statutarii sive reformatioini

5<sup>a</sup><sup>b</sup> Schwarzius, Christian Gottl : De numeranda  
Incurria potestate

6. Schultze, Joh. Heinrich : Descriptio Academica

200.  
S'vus histriac anatomicae specimen I.



268

7  
Q. D. B. V.  
DE  
**ALIMENTIS,  
EORVMQVE COMPU-  
TATIONE  
IN DETRAHENDA Q. FALCIDIA**

OCCASIONE

L. 68. ff. ad L. FALCID.

MAGNIFICI

JCTORVM ORDINIS

BENEVOLO PERMISSV

AD DIEM XIX. NOVEMBR. MDCCXX.

**PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE  
HONORES CAPESSENDI**

DISPVTAT

JOHAN. ERNESTVS BERNEGGERVS  
OHRINGA - HOHENLOICVS.

---

ALTDORFI  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



90  
ALIMENTIS  
EORUMQVE COMPA-  
TATIONE  
IN DETRAHENDA ET TALCIDI-  
A VITAE PRACTICANDA  
MAGNIFICI  
SAGITTARII  
PRO LICENSI  
ET IN CONVOCATIONE  
CONFERENTIA  
27



**Q. D. B. V.  
CAP. I.**

§. I.



Ulm in hac præsenti Dissertatione inaugurali  
de Alimentis, eorumque computatione &c.  
exercitii Academicici publici loco agere me-  
cum constituerim, hoc disputationis meæ ar-  
gumentum Lectori Benevolo eo magis gra-  
tum fore spero, quo major est hujus materiæ  
utilitas, quam vel ipfa Experientia, optima Rerum Magistra sa-  
tis comprobat, inde etiam omni studio allaborabo, ut quanta  
per vires ingenii licet, diligentia atque ordine hoc argumentum  
pertractem. Cum vero Methodus varia detur, qua præcipue  
in conscribendis exercitiis Academicis uti solent, eam elegi,  
qua pro ratione instituti mei & compendiosa & clara mihi vide-  
batur. Hoc in primo autem Capite agendum mihi erit de Ali-  
mentis, & quidem de eorum Definitione ac Divisione, nec mi-  
nus sub quoniam nomine veniant. In secundo autem Capite  
pertractabo, qui & quibus alimenta præstari debeant, in qua-  
nam quantitate sint relinquenda, ubi & quando præstanda, qui-  
bus petantur remediis, & denique quæ sint eorum Contraria.  
Tertium autem Caput sistet brevem ipsius Legis explicationem.

A. 2

§. II.

Primum igitur mihi erit dispiciendum de alimentorum definitione. Minime vero hic loci operæ pretium esse arbitror, multum laboris vocum evolutioni impendere, cum eorum deratio neminem fugere queat. Illorum enim viam, qui nodum in scirpo querunt, & vocabulorum Deductione per se notorum negotium sibi facessunt, heic locorum premere in animo mihi non est. Ad rem igitur ipsam potius me confero, & dico, quod sub alimentorum vocabulo comprehendantur omnes res; quæ ad vitam humanam pariter ac civilem sustinendam sunt necessariae, seu sine quibus homo vel plane vel non satis bene ac decenter in societate civili subsistere potest. Germanice: Der nöthige Unterhalt, die Verpflegung, die Lebens-Mittel. vid. L. 6. ff. de aliment. & cib. leg. L. 34. seqq. & L. 234. §. fin. de V. S. Lauterbach. Coll. Pract. ad Tit. de alim. & cib. leg. §. 3. vid. Besold. in Thesaur. Pract. sub voce: Unterhaltung. vid. omnino Excell. D. D. FICHTNERI, Patroni ac Praeceptoris mei summa animi religione colendi Dissert. de Antipelarchia §. 17.

## §. III.

Præmissa definitione recto nunc tramite pergo, sub quo nomine alimenta veniant. Hic distinguendum erit, an hæc fuerint expressa nec ne. Si igitur ipsa expresse fuerint relicta, tunc res per se est expedita, nec interpretatione indiget, quoqiam in claris non est opus conjecturis, nec ullum etiam voluntatis nostræ apertius est testimonium, quam verborum qualitas & conceptio, nec quæstio voluntatis admittitur, si in verbis nulla sit ambiguitas, L. 52. §. 1. & L. 69. ff. de Legat. 3.. Quod si vero alimenta non expressa fuerint, sed alicui per verba saltem æquipollentia relicta, e. gr. si legatus fit victus, tunc & tale legatum debitum alimentorum involvere, statuendum est. vid. L. 43. ff. de V. S. L. 16. pr. d. t. de aliment. & cib. leg. Brunnemann.

ad

ad L. fin. ff eod. tit. Calvinius in Lexico in verb. aliment. cum omnino nihil plane intersit differentiae, an legata explicite relinquantur, an vero per aequipollentia verba proferantur, sed paria esse existimo, utrum alimenta, an vero victus legetur, quia aliter commode quis vivere nequit, cui non cedunt omnia, que alimentorum nomine continentur. arg. L. 234. §. 2. de V. S. que cum ita sint multo magis sub legato vita alimenta erunt intelligenda. Si enim victus contineat alimenta, victus autem propter vitam conceditur, ergo ea multo magis involunt legitum vitae, inde etiam subsidia vitae dicuntur haec nostra alimenta in L. s. Cod. de patr. potest. C. Episcopus. 4. & de præbend. Eandem Juris Dispositionem in legato educationis obtainere existimo, quando nimirum testator mandat, ut quis educetur ac nutriatur, cum eadem hic quoque adsit ratio. vid. L. fin. de alim. & cib. leg. ibique Brunemann. vocantur etiam nutritiones. L. pen. ff. de his qui sunt sui vel alien. Jur. Lauterb. Coll. Theor. Pract. ad d. t. §. 2. Stryck. Us. modern. ad eund. tit. §. 1. Surd. Tr. de alim. tit. 2. quest. 2. 3. Sub vocabulo autem alimentorum generaliter in Jure comprehendi & intelligi solent ea omnia, quibus ad vitæ hujus sustentationem opus habemus. L. 43. ff. de V. S. specialiter sub eorum nomine veniunt Cibaria, vestes, lectus, habitatio, lignum ad conclave calefaciendum, & ad coquendos cibos, medicamenta quandoque, sumptus ad studia & dignitatem pertinentes, equus & famuli pro conditione tamen personarum & qualitate, si scilicet is, qui ali debet, ejusdem sit conditionis, ut pedibus incedere non possit nec debeat. vid. Coler. de Aliment. L. 2. c. 1. p. 4. In constituendis enim alimentis, quod generaliter notandum, semper necessario qualitatis, Personarum, consuetudinis, loci temporisve ratio habenda est. Klock. Vol. 3. c. 155. n. 207. Frid. Bruckmann. Cons. 35. n. 79. usque ad fin. Mynsing. Observat. 12. Cent. 13. Menoch. L. 2. Cent. 2. c. 170. Quamvis nunc ex his prædictis quilibet

facile colligere possit , quid eorum appellatio contineat , attamen opera esse pretium existimo , ad meliorem eorum intellectum de singulis alimentorum speciebus etiam quædam sigillatim heic loci differere . Igitur Cibaria , die Rost , sub eorum appellatione comprehendendi supra jam audivimus . vid . text . express .  
*L. 6. ff. de Aliment. & Cib. leg.* sub quo vocabulo tam esculenta quam potulenta intelligimus . *L. 3. pr. ff. de pen. leg.* *L. 1. ff. de Aliment. & cib. leg.* vid . tamen *L. 5. ff. de pen. leg.* que homini adeo sunt necessaria ad vitæ sustentationem , ut absque destructione corporis sui , quæ per durissimam & mordacem calamitatem famis contingere , *L. 2. l. de Patr. qui fil. distr.* Surd . d .  
*Tr. tit. 4. qu. 1.* ifitis carere nequeat . Et licet in *L. 8. §. 12. ff. de Transact.* alimenta ita stricte accipi videantur , ut præter esculenta & potulenta nihil comprehendant , attamen aliud in ultimis voluntatibus erit sentiendum , ubi omnino latius alimenta sunt intelligenda , quan in transactionibus , ubi strictius interpretanda . vid . Brunnem . ad *L. 21. ff. de alim. & lib. leg.* ratio est , quia constitutio alimentorum est favorabilis , remissio vero seu transactio odiosa . Enenckel d . *Privil. parent. & Liber. privil. 7. c. 2. n. 1.* cui porro accedit , quod legatis Cibariis solum cibus & potus sit legatus , non vero vestimenta aut similia , cum tamen haec omnia sub alimentis legatis continentur . Stryck *Uf. modern. ad tit. ff. de alim. & lib. leg.* § . 1 . Cibi appellatione etiam potum venire diximus , qui pariter ei cui alimenta sunt relicta debetur , cum nihil ad humanæ vitæ sustentationem magis sit potu necessarium . *L. 1. & L. 14. §. fin.* *L. 21. d. t. L. 43. de V. S. Welenbec. ad tit. ff. de agnosc. & alend. Lib. n. 2.* quamvis diverse res sint cibus & potus , attamen veniunt sub generaliori alimentorum aut victus vocabulo quinimo sub nomine Cibariorum . quæ sub nomine alimentorum comprehenduntur , tanquam species sub genere , *L. 3. pr. ff. de pen. leg.* *L. 234. §. 2. de V. S. L. 1. ff. de alim. & lib. leg.* addendum tamen hic insuper est , quod non tantum ipsa legata sit

aqua

aqua. vid. cit. L. & L. 13. §. 3. ff. de alim. & cib. leg. si scilicet ea sit venalis, uti Ferrariae, Romae, & Venetiis, aut cerevisia aut vinum, prout feret regionis consuetudo, sed vasa quoque praestanda veniant e. gr. cadi, amphorae, &c. cum alio modo talia liquida servari nequeant. arg. L. 3. §. 1. L. 14. de trit. vin. & ol. leg. L. 3. in fin. L. 4. pr. de pen. leg. ibique Zcesius & Brunnemar. Lauterbach. Coll. Pract. ad tit. de trit. vin. aut. ol. leg. §. 3. Concesso enim uno, conceditur id omne sine quo concessionem esse nequit. arg. L. 2. ff. de Jurisdict. L. 1. §. 1. si ususfr. pet. L. 2. §. 5. testam. quemadmodum aper. non tamen ideo, quia vasa sunt pars vini, sed quia mens testatoris ea fuisse praesumitur, ut vasa accessioni vino esse voluerit. Surd. d. t. q. 3. Alia tamen & quidem plane diversa ratio est in dolii, ut ista vino legato non etiam statim debeantur, maxime si deprehensa in cella vinaria sunt, aut talia existunt, quæ propter magnitudinem difficile mouentur, germanice: Studi-  
ß, quia tunc ad certum quasi locum destinata censentur, per cit. L. 3. de trit. ol. & vin. leg. ibique Zœf. sed & incidenter hic queritur, an debitor loco aquæ, vini aut cerevisiae ad pecuniariam ejus estimationem praestandam cogi possit? Resp. regulariter neg. arg. L. 42. & 34. de fidejuss. quemadmodum enim aliud pro alio invito creditori solvi nequit, L. 2. §. 1. de R. C. L. 16. de solut. Carpzov. L. V. p. 402. n. 254. quia obligatio iterum est dissolvenda, uti fuit contracta, arg. 35. de R. J. ita & debitor non debet ad solvendum aliud pro alio cogi, cum sint correlativa, quorum eadem est natura nec judicantur ad imparia, quod enim depositum est in uno, etiam locum habet in altero. Quæ vero regula non semper tam nude ac absolute, sed cum grano salis & adhibitis sequentibus limitationibus est intelligenda, nisi ex genere alimentorum, vel ex testatoris dispositione aut ex persona aentis & alendi, eorumque pactis aliud statuendum appareat; aut nisi res praestandæ sint facile corruptibles,

biles, ut menstruatim servari nequeant, quales sunt carnes, e-  
jusque generis aliae, tunc & hoc in casu pretia pro alimentis o-  
mnino debent admitti, vid. Struv. S. J. C. ad tit. ff. de alim. leg.  
aut nisi res ipsa legata haberi nequeat. L. 14. §. fin. de alim. &  
Cibar. leg. L. 8. de conduct. furt. L. 71. §. 3. de Leg. 1. Nov. 4.  
c. 3. Auth. Hoc nisi debitor. Cod. de Solution. Surd. d. t. 4. q. 3.  
aut nisi facti ad sit obligatio, quo casu loco facti ab illo, qui præ-  
stare debet factum, præstatur interesse. L. 3. §. 1. de R. J. Com-  
pend. Lauterb. p. m. 50. pr. & pag. 641. aut nisi denique vo-  
lenti alia res in solutum detur, vid. Compend. Lauterb. d. l. &  
p. 276. lin. ult. Lauterb. Coll. g. Pract. adit. de solut. §. 17.-21.  
vid. al. except. in L. fin. §. 4. & 6. Cod. de Jure Delib. Brunnem.  
Centur. V. Dec. 7. C. J. A. l. 29. tit. 2. th. 34. Rhetius ad Instit.  
Dis. 23. §. 24. Cibariis hisce affinia sunt cibaria domestica,  
quæ moribus Saxonis post mortem mariti inter viduam hære-  
desque dividuntur, germanice der Müstheil, & comprehen-  
duntur sub hac appellatione omnia esculenta & potulenta, quæ  
post tricesimum diem a morte mariti extant. Constit. Elect. Sax.  
P. III. Constit. 34. wiewohl in zum Müstheil alle gehoffte Spei-  
sen, so nach dem dreißigsten Tag übrig, gehöret. Carpz. P. III.  
Constit. 34. def. 2.

## §. IV.

Cum uestis sive quod idem est, uestimentum per l. 23.  
de aur. & arg. leg. quoque ad humanæ vitæ sustentationem maxi-  
me sit necessaria, idecirco eam legatis alimentis pariter deberi  
constat ex cit. L. Legatis ff. de alim. & cibar. leg. L. 43. 45.  
& 234. §. 2. de V. S. Stryck Us. modern ad tit. ff. de alim. &  
cib. leg. Ut vero eo melius intelligatur, quid uestis appellatione  
veniat, legantis mens et consuetudo probe attendatur necesse  
est, quid ille pro ueste reputabat, vid. Cels. in L. 7. §. 2. in fin.  
ff. de supell. leg. arg. L. ult. Cod. quares pignori &c. L. 33. de  
aur. arg. leg. quod si vero alicui cibaria tantum fuerint relicta,  
tunc

tunc minime vestis præstanta venit, per text. express. *L. 21. de alim. & cibar. leg.* aliud enim sunt cibaria, aliud alimenta, igitur vestes ad vitam quidem sunt necessariæ, minime vero ad cibandum. Quales autem vestes debeantur, de his vid. *Surd. d. tit. quest. 2.* nimirum pro conditione personarum ornatiōres, licet regulariter pretiosiora ornamenta, ut catenæ aureæ, aut brachialia sub alimentorum nomine non contineantur. *Coler. P. I. Decis. 62. n. 34.* *Carpz. P. III. c. 11. def. 12.* Quæ omnia cum in predictis terminis rite procedant, attamen longe alia dicendi erit ratio, quando agatur de renunciatione vel transactione alimentorum, quia tunc appellatio alimentorum vestes non continet, cum ex Divi Marci Constitutione specialis renunciatione requiratur. vid. omnino *L. 8. s. 12. ff. de transactionibus*, quotiescumque enim agitur de remittendis alimentis, toties etiam materia est summe odiosa, inque ea obtinet stricta interpretatione, ubi vero agitur de alimentis præstandis, materia est maxime favorabilis & interpretatio ampla lataque; Quid vero proprie loquendo hujus vocis vestimenti significatio contineat, exhibet ex aliis Menochius *L. 4. pref. 161. in pr. Zœl. ad tit. ff. de aur. & arg. leg. n. 6.* ubi legato, ait, vestimento, venire linea, linea, pellicea, & similia induendi, præcingendi, amiciendi, infernandi, injiciendi, incubandique causa parata, & quæ hisce accessionis loco cedunt. vid. *Rol. à Valle Confil. 27. n. 3. & 4. vol. 1. Pontan. de Alim. c. 12. n. 20.* Haud immerito etiam heic loci occasione hujus materiae queritur, an alimentarius si pro veste emenda ab herede pretium sit consecutus, possit istud in alium usum convertere? Resp. affirm. nec etiam ulla in hoc causa condicō pro repetendo pretio vel etiam ipsa veste locum habere potest, quæ vero nostra juris dispositio saltem est restringenda, si alimenta ex dispositione hominis debeantur, cum sufficiat, quod dentur & recipientur res ad finem ordinatum, nec refert, quod mutato postea proposito in alium usum conver-

B

tantur;

tantur; non vero si debeatut ex dispositione Legis, quia tunc cessante necessitate non debentur, ac proinde ad alium usum converti nequeant, atque hoc ipsum probatur ex l. 2. §. 7. de donat, dum ibi distinguitur, an testator forte alioquin foret relikturus nec ne? quæ distinctione non foret necessaria, si non posset alimentarius aut rem ipsam aut pretium pro ea re in alium usum convertere. vid. Surd. d. t. qu. 2.

## §. V.

Habitationem tanquam partem alimentorum & victus legatario, quinimo etiam pro familia ipsius per L. 21. de precari deberi, haud obscure declaratur ex L. Legatis ff. de alim. et cib. leg. L. 234. §. 2. de V. S. Menoch. d. arbitr. jud. quæst Lib. II. Cas. 120. n. 29. Mynsing. ad tit. Instit. de Action. §. 37. n. 4. quia nec sine ea commode quis vivere potest. Verum enim heic loci sub habitationis vocabulo non habitatio in se spe-ctata tantum, sed omnia etiam vasa ad coquinam et mensam parata. arg. L. 7. §. 1. de supell. leg. ut & lectum L. 52. §. 9. de leg. 3. nec minus stramenta, L. 234. §. 2. de V. S. Menoch. L. 4. pres. 157. & 160. & in tr. de arbitr. Jud. cas. 170. n. 28. Struv. Syntagma. Jur. civil. ad tit. de agnosc. & alend. lib. lignaque ad calefaciendum cibosque coquendos necessaria continentur. arg. L. 56. ff. de Procurat. L. 43. & seqq. de V. S. L. 3. §. 9. ff. de pen. legat. Mynsing. cent. 3. obs. 12. Brunnenm. ad cit. L. 6. de alim. & cib. leg. Mantic. in conject. ult. volunt. L. 6. tit. 11. n. 17. Non enim potest quis habitare qui non supellecstile pro conditione personarum opportunam habet. L. 1. §. 1. L. 3. supell. leg. ibique Brunnenm. & Zœl. Pontan. de alim cap. 17. n. 20. quod si vero alicui simplex habitatio legetur, tunc illi præter domum nulla supellex aut bona mobilia ad domus instrutionem aut ornatum præstanda erunt. Quando vero non generaliter alimenta, sed cibaria fuerunt relicta, tunc minime debetur

betur habitatio per *cit. Leg. diariis ff. de alim. & cib. leg.* Idem iterum de remissione alimentorum erit dicendum, per rationes quas in praecedenti §. 4. allegavimus. Quæritur autem, an alimentarius assignatam habitationem alteri pro certa mercede locare valeat? Resp. affirm. per *§. 1. I. de us. & habit.* si enim alimentario circa vestes libera disponendi facultas sit concessa, convertendo eas seu earum pretium in aliud usum, quare eodem modo non poterit habitationem alteri pro certa mercede locare? vid. Surd. *d. t. quest. 4.*

## §. VI.

Progradimur nunc ad Medicinas, quas æque sub appellatione alimentorum intelligi supra docuimus, cum nec sine iis homo stante firma valetudine vivere queat. Humanum enim Corpus sæpius infirmitatibus laborat, ut ita vix sine medicamentis sustineri possit. *d. l. legatis ff. d. alim. & cib. leg.* ibique Gothofred. *lit. N. L. 22. §. 8. sol. matrim.* *L. 3. de his qua ut indign.* *L. 44. seqq.* ibique Goedd. & *L. 234. §. 2. de V. S. Menoch.* *L. 4. praf. 157. n. 30.* Speidel. in *Specul. voc. Unterhaltung.* Gudelinus de *Jure noviss.* *lib. 3. c. 14.* qui enim medicinas subtrahit, vitam videtur subtrahere & necare. Ergo si ullam necessitatem habet ars, quæ salutis hominum curam gerit, certe medicina summe necessaria est. vid. *L. 1. §. 1. ff. de extraord. cognition.* quæ tamen medicamentorum præstatio non semper & indistincte obtinet, sed tunc demum quando infirmitas citra propriam culpam crassam evenerit, alias obligatus ad alimenta non tenetur medicinas aut infirmitatis expensas præstare. arg. *l. 9. §. 7. de pecul.* Surd. *d. t. qu. 5.* Enenck. *de priv. lib. et parent. privil. 7. c. 2. n. 2.* cuiilibet enim sua culpa debet esse damnoſa, nec necessitas excusat, quando quis sua culpa in eam incidit. *l. 203. d. R. J. l. 1. §. 11. ff. si quadrup. pauper. fecisse dicatur.* Compend. Lauterb. *p. 143.* Menoch. *d. arbitr. jud. cas. 182. n. 42.*

B 2

vid.

vid. omnino Lauterb. *conclus. for. exerc. 19. th. 10.* modo culpa etiam sit ad infirmitatem ordinata, ut ex illa tanquam ex causa immediata vel mediata damnum per se veniat, et non per accidens, alias enim ejus nulla habetur ratio. arg. *l. 30. §. fin. ff. ad L. Aquil. Gail. 2. O. 22. n. 7.* Compend. Lauterb. *p. 144. & 645.* Harpprecht Coss. *p. 1871. n. 130.* D. Bernegerus *in exam. ad tit. Instit. de Lege Aquil. qu. 7.* Animi medicina sunt studia, quia illis mens quasi corrigitur & sana conservatur, nec non etiam artes aliae, non quidem liberales, sed tamen honestae, quæ animum ab otio, pestifera ista malorum lerna, muniunt, & vitae sustentationem tribuunt. Inde queritur, an sub aliamentis studia etiam & artes addiscendæ intelligendæ sint? hoc tamen afferendum esse videtur, si qualitas illius, qui alimenta præstare debet, id exigere videatur, v. gr. parentum, qui liberos suos ita alere, ita tueri atque curare debent, ut & animo & corpore valeant, & ita mens sana sit in corpore sano. Quod enim est in corpore morbus, quod in oculis cœctas & caligo, id in animo ignorantia, quæ quo major, tanto interitum ejusdem proprius accedit; tanto igitur magis animi curam quam corporis agere oportet, quanto hoc ille præstantior est ac nobilior. *L. 50. ff. famili. hercif. l. 6. §. 5. ff. de carb. edit. ibique Bart. L. 5. C. ad SCt. Maced. Lauterb. ad tit. ff. de alim. leg. Enenckel. tr. de Privil. parent. & lib. privil. 7. c. 2. n. 3. cum & in parentibus tam pro facultatum, quas possident, qualitate, eorum conditione & dignitate, quam etiam pro diversitate studiorum, ita assertio nostra erit limitanda, ut si parentes sint inferioris aut etiam tenuioris conditionis, saltrem tamen filius in studiis christiana pietatis & literarum elementis erudiri curent, & ad opifcia addiscenda ipsis operem ferant. Menoch. *de arbitr. jud. qu. cas. 50 I. n. 8. seqq.* secundum præceptum illud:*

*Si tibi sunt nati, nec opes, tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem traducere vitam.*

Vid.

Vid. Enenckel *de privil. par. & lib. privil. 7. c. 2. n. 3.* ne alias ipsa parentes egeant, aut in arctum filii causa cogantur, ut ille pater apud Terentium *in Heautont. act. 5. scen. I.* Pater enim sūrum officium minime supplet, si filium saltē alat, ira enim a brutis parum differret, quia & ipsa ad aliquod tempus pullis suis de pabulo prospiciunt; Verum cum non animal sit educandum, sed homo, vi obligationis naturalis patri incumbit, ut sūcum humānum ita instruat, aut instruendum curet, ut eam vitam, quae hominis propria est, vivere queat. Is enim neutiquam homo dicendus, qui externam gerit hominis figuram, sed qui hominis degit vitam. Nullum enim orbis hic slevius habet animal homīne, qui non recte educatus est. Aristotel. *L. I. Polit. c. 2. & l. 7. Polit. c. 19. & 17.* Struv. *S. J. C. ad tit. ff. de agnosc. & alend. lib.* quod si vero parentes ditoris conditionis aut spectatoris sint, pro qualitate illorum, filiis tam ad studia, quae quæstui & pani, uti dicunt, lucrando, quam quæ magis ornamento inserviunt, ad artes politiores discendas necessarios sumtus ad instar alimentorum suppeditare debent. *l. 125. ff. de V. S. juncta l. 6. l. 10. ff. de alim. & cib. leg.* Jafon. *in l. quidam cum filium. ff. de aliment. & cib. n. 4.* Inde etiam fit, quod nec sumtus studiorum non immoderati, nec male collocati, aut honorum academicorum aut peregrinationum, in judicio familie herciscundæ regulariter conferantur, cum in jure nostro illi sumtus, qui pietatis causa sunt facti repeti nequeant, & per consequens a collationis necessitate exempti intelligantur. *l. 11. & 13. C. de negot. gest.* At quis negabit, eos quoque sumtus, qui studiorum gratia suppeditantur, exigente pietate & postulante affectu paterno & materno erogari per *l. 15. C. eod.* præterea quoque addendum, quod parentes illos sumtus animo donandi vel inter alimenta exhibuisse videantur. *l. 50. ff. fam. herc. arg. l. 15. de neg. gest.* vid. omnino Harppr. *ad tit. Instit. de donat. §. 2. n. 55. seqq.* Magnif. D. D. HILDEBRAND *ad tit. Instit. de bonor. poss. §. 17.* quibus porro

accedit, quod tales sumtus proprius ad peculium quasi castrense accedant. vid. Harppr. l. c. quod immune est a collationis necessitate, per l. 1. §. 15. ff. de Collat. bon. Hartm. Pistor. P. I. qu. 19. n. 3. Coler. P. I. decif. 62. n. 20. Idem etiam est sentendum de sumtibus ad militiae gradum comparandum, præcipue a nobili parente erogatis, l. 4. pr. ff. de castrensi pecul. l. 5. §. 12. de agnosc. & alend. lib. cit. l. 1. §. 15. ff. de collat. Everhard. in loc. de armat. milit. n. 1. & seqq. Carpzov. Jurisprud. for. P. 3. C. II. D. 17.

## §. VII.

Denique & ultimo loco etiam huic referri merentur vœctura & famuli secundum personarum conditionem aut qualitatem, arg. l. 12. §. 4. de us. & habit. Mev. P. VI. dec. 37. n. 4. Speidel. l. c. Sic si alimentarius esset persona illustris, minime in ipsius personam cadet, pedibus incedere, sed multo magis equus ei erit præstandus, qui hoc in casu partem alimentorum constituit, id quod nec minus ex eadem ratione ad navem extendi potest, quando iter æque commode per aquam fieri potest, itemque ad rhedam, seu carrucam, qua cum minori incommodo vehuntur, imprimis quando quis propter adversam valetudinem non posset equitare. Surd. d. t. qu. 18. Interdum pro qualitate & egestate personæ alimentarii, clando vel decrepito tantum fulcra, quibus inniti & se mouere possunt, Krücken und Stäbe præbenda sunt. L. 12. ff. de Legat. 3. quid vero de expensis funeralibus sit dicendum, an & isti alimentis legatis præstanti veniant, de iis vid. late Lauterb. Coll. Pract. ad tit. de alim. & cibar. lig. §. 4. & 5. ubi sequentem in modum pro more erudite concludit, quod quidem heres ad sumtus funerales præstandos non teneatur. arg. l. 6. ff. de alim. & cib. leg. quippe qui cessantibus demum alimentis defuncto scilicet alimentario impendendi veniamunt, cum saltem respectu ejus, cui præstantur, adsit personalis

lis quædam obligatio , quæ cum vita iterum exspirat , nam ex parte ejus , qui præstare tenetur , est onus alimentorum reale , & transit ad heredes . arg . L . 3 . § . fin . quib . mod . usus fr . amit . l . 13 . solut . matrim . l . 196 . de R . J . l . 8 . § . 10 . de transaction . Gail . 2 . obf . 88 . n . 13 . ex pietatis tamen officio tales sumtus præstari debent . vid . omnino Carpzov . Prax . Crim . 2 . qu . 69 . n . 115 .

## §. VIII.

Postquam hucusque consideravimus , quid sub vocabulo alimentorum intelligatur , nunc etiam ordo me vocat ad eorum divisiones . Igitur si vocabulum alimentorum latius accipiamus , ea vel animæ vel corporis dici possunt . Oldendorp . class . 1 . & 4 . num . 4 . quæ priora potius ad theologiam quam ad jurisprudentiam pertinent , & improprie saltē sub alimentorum vocabulo continentur . Hæc autem iterum sunt vel præterita vel præsentia , quædam autem futura , quæ tamen præterita saltē verbottenus alimenta dicuntur , proprie autem loquendo talia non sunt , cum minime ex iis , sed ex præsentibus & futuris hominis vita pendeat . Porro alia debentur vel ex sola juris necessitate citra hominis factum naturali vel civili suadente ratione , aut ex hominis dispositione , eaque vel inter vivos vel ultima voluntate , cuius subdistinctionis usus præcipue patet ex l . 8 . ff . de transact . ibique Brunnem . plures eorem divisiones vid . apud Colerum in tr . de alim . L . 1 . c . 1 . n . 11 . & 17 . Pontanus eod . tract . c . 18 . n . 1 .

## CAP. II.

## §. I.

**P**ersonæ , quibus præstatio alimentorum incumbit , variae quoque dantur . Aliquis enim onus alimentationis ex immediata & sola legis dispositione est injunctum , e . gr . parentibus . L . 4 . s . ff . de agnosc . & alend . liber . l . pen .

l. pen. & ult. C. de alend. lib. vid. omnino l. 8. §. 5. C. de bon. qua  
 lib. c. 14. dist. 30. l. unic. §. 4. Cod. de R. U. A. Enenckel. de pri-  
 vil. par. & lib. pivil. 7. c. 1. §. 4. hi adeo ad alimentationem  
 liberorum suorum tenentur, ut haec alimenta nec statuto nec  
 consuetudine prohiberi aut tolli possint, quia liberorum educa-  
 tio est juris naturalis. pr. Inst. de J. N. G. & C. l. 1. §. 3. ff. de  
 just. & jure. Enenckel. cit. loc. c. 5. n. 1. inde etiam servator  
 tales, qui suis non prospiciunt peiores paganis esse exclamavit.  
 Horum autem alimentorum species est legitima a parentibus  
 liberis relinquenda, que licet formaliter ex lege civili depen-  
 deat, et quoad quantitatem mutationem admittat, nullo modo  
 tamen in totum tolli ne quidem a summo principe ex plenitu-  
 dine potestatis potest, quia haec pariter est juris naturae debitum  
 l. 7. §. 1. ff. unde lib. l. 7. ff. de bon. damnat. cuius placita sem-  
 per firma atque immutabilia permanent, §. pen. Inst. de J. N. G.  
 & C. l. 6. ff. de J. & J. Nov. 18. c. 1. Gail. l. II. obs. 122. n. 11.  
 late D. Bernegger. exam. instit. theoret. pract. tit. de querel. in-  
 off. qu. 22. quoniam autem liberi, queis parentes alimenta debent  
 variae sunt conditionis & generis, alii nempe vel legitimi vel  
 naturales simul alii legitimi tantum, alii porro ex adulterino vel  
 incestuoso coitu procreati, alii denique spirituales, quos ex sacro  
 baptismate suscepimus, inde ut eo distinctorius in hac materia  
 procedam, paucis in praesenti sum acturus, quibusnam liberis  
 haec alimenta a parentibus sint praestanda. Primo igitur legitimi-  
 bus & naturalibus simul indistincte a patre alimenta debentur, sive  
 sint sui sive emancipati per textum expressum l. 5. §. 1. de agnos.  
 & alend. lib. licet emancipati alias pro mortuis habeantur. l. 29.  
 §. 5. de lib. & posthum. ac in patria potestate non amplius ex-  
 istere dicantur, §. 6. Inst. Q. M. P. P. S. attamen cum obligatio  
 praestandi alimenta non ex jure patriae potestatis, sed multo ma-  
 gis ex dispositione juris naturae profiscatur, igitur concludo,  
 per baruum nec alimentationis necessitatem tolli, quia civilis ra-  
 tio

tio naturalia jura corrumpere non potest, nec jura sanguinis ullo jure civili dirimi possunt. *L. 8. de R. J. arg. L. 13. §. 1. de jure dot. l. 8. & 10. de capit. diminut. Surd. d. tr. tit. 1. qu. 3.* Enenckel *d. Tr. privil. 7. c. 5. n. 4.* Nec quicquam ad rem facit, quod bannitus censetur hostis patriæ, quem parentibus occidere licitum est, per *L. 35. de relig. & sumt.* & inde multo magis denegare alimenta, hostem enim suum nemo alere tenetur, nec legis quoque auxilium meretur, qui in eam committit. *L. 37. §. 1. in fin. ff. de minor.* ita pietatem a patre requirere non potest, qui adversus pietatem, quam patriæ & parentibus debet, commisit, adhac patriam præferre liberis omnino decet. Verum enim vero non ubique ac semper filium bannitum pater impune occidere potest, sed tunc demum, si re ipsa patriam opugnet, & pater sui ipsius defensionis causa, veluti in confliktu civili necem filii evitare nequeat. *Coler. d. tr. L. 1. c. 5.* Licet & hoc in casu, an salva conscientia filius a patre occidi possit, quidam non sine ratione adhuc dubitare solent? arg. *L. 38. §. 9. ff. ad L. Jul. de adult. L. 15. ff. de Condit. Instit. L. 4. ff. de obseq. par. praef. Nov. 12. c. 2.* Gail. de Pace publ. *L. 2. c. 10. n. 23.* vid. D. Fichtneri *supra laudata Dissert. de Antipelarchia. §. 12.* Enenckel, cit. *Tr. priv. 2. c. 2. n. 19.* Nec minus etiam filio immorigero patrique non obsequenti alimenta præstanda esse firmiter statuo, ductus potissimum hac ratione, quia is, qui alimenta inopi denegat, eum necare dicitur in *L. 4. ff. de lib. agnosc.* Patri autem, licet insignis potestas ipsi in filios competit, ita ut de veteri Romano jure filium etiam vi patriæ sive potestatis occidere ipsi licuerit. *L. 11. ff. de lib. & posth. hered. inst. l. ult. Cod. de potest. patr.* hodie tamen vitæ necisque potestas, quæ potius Regalibus, & summis in territorio juribus recte annumeratur, minime competit, non licet filium necare. *§. 6. Instit. de publ. Jud. L. 3. & 4. C. de patr. potest. L. unic. C. de his qui par. vel lib. occid.* D. Hildebrand. *Introd. ad tit. Instit. de patr. potest.*

C

ergo

ergo nec alimenta denegare. Hæc omnia hactenus a nobis disposita adeo vera sunt, ut licet filius bona a patre ipsi ex causa alimentorum assignata dolo aut culpa lata dissipaverit, partim ideo, quia alimenta liberis debentur jure naturali, & ideo nullo eventu tolli possunt. Enenckel cit. tr. privil. 7. c. 3. n. 20. partim autem quia pater multo magis sibi debet imputare, quod alimenta non singulis diebus, sed semel ac unica vice præstiterit, cum filii continentiam prius explorare debuisset, quapropter infortunium inde subsequens omni jure in patris detrimentum redundat, imprimis cum prodigalitas etiam inter causas exhereditationis non reperiatur. Si igitur filius propterea non potest exheredari, plane non video, ex quoniam iuris fundamento, quae ratione ipsi egoen alimenta iuste denegari queant. Schneidew. ad tit. I. §. de hered. qual. & differ. n. 4. Coler. 1. tr. L. 1. c. 2. Sic & filio haeretico sive tali qui non credit, quæ in Synodis Nycæna, Constantinopolitana, Ephesina & Chalcedonensi, decreta sunt. L. 8. C. de heret. cap. 27. cauf. 24. qu. 3. cap. 29. cauf. 14. qu. 3. Nov. 131. c. 1. (modo publice per sententiam sit pro tali declaratus) alimenta a patre orthodoxo debentur, eum excommunicatio filiationem non tollat, inde etiam fit, ut nec alimoniam auferat, quæ assertio eo magis est accipienda, cum sit in ipsis facris literis fundata. Gal. VI. v. 10. I. Thess. V. v. 15. cui accedunt adhuc alia rationes haud contemnendæ, quia partim alimenta reciproce debentur, cum filius orthodoxus patrem haereticum alere teneatur, partim etiam quia ea liberis fortiori jure quam parentibus a liberis debentur, hæc enim parentum nutritio a liberis præstanda ad jus gentium potius quam ad jus naturale in specie dictum referenda est. vid. Enenckel. de privil. parent. & lib. privil. 7. cap. 6. n. 4. Bald. ad L. 1. §. 5. ff. de J. & Just. Quæ tamen alimentatio iterum cessat, si filius bona habet castrensis aut quasi castrensis ad vita sufficienciam sufficientia, arg. L. 5. §. 13. ff. de agnosc. & alend. lib. aut si calleat

calleat artem, ex qua sibi viatum aliaque necessaria querere potest, ejusque adhuc sit roboris ac valetudinis, ut eam exercere valeat, quia qui artem novit, qua se alat, pauper vel egenus censi nequit. vid. gloss. in L. 25. §. 4. Cod. de donat. Mascard. de probat. conclus. 1154. n. 36. aut si patris substantia ita sit diminuta, ut pro alimentis propriis non sufficiat, cum satis durum ac crudelitati proximum foret, ex prædiis tuis aquæ agmen ortum, sicuti dicitur in L. 6. C. de servit. & aqu. Prima enim & ordinata charitas incipit a se ipso, ac nemio tenetur alienam proprieæ saluti præferre. arg. L. 30. C. de fideicommiss. nec ubi par malum imminet, vetamur nobis potius, quam alis consulere. Hugo Grot. de J. B. & P. L. 3. c. 3. n. 3. vid. Coler. d. tr. L. 5. c. 2. & 5. Surd. d. tr. T. 7. qu. 6. D. Fichtner cit. Diss. §. 11.

Quæ hactenus sunt dicta filios solummodo respiciunt legítimos, pergitus nunc etiam ad liberos naturales, qui quidem abrogato hodie concubinatu per Reform. Polit. de A. 1548. tit. von leichtfertiger Beywohnung, a spuriis quoad effectum haud differunt, Struv. Exerc. 38. th. 22. D. Bernegger in Exam. ad tit. Inßtit. de success. ab intest. qu. 18. & 21. quibus ipsis aliamenta arbitrio boni viri determinanda a parentibus præstanta aperite est sanctitum in auth. licet. Cod. de natur. lib. licet liberis legitimis extantibus a successione patris repellantur, quæ etiam juris civilis dispositio in Juie Can. est approubata. arg. cap. 5. X. de eo qui duxit in matrimonium. cap. cum inter. 2. X. qui fil. sint legit. Carpzov. P. H. C. 10. d. 18. vid. Menoch. Consil. 60. n. 6. D. Bernegger. in Exam. ad tit. cit. de success. ab intest. qu. 22. D. Hildebrand. adeund. tit. §. 22. p. m. 456. modo de patre certo constet, alias si vulgo quæsiti patrem demonstrare nequeunt, tunc quod a patre alio non debeant, certi juris est. Nullam enim

habet actionem, qui adversarium non habet. *L. 6. ff. de dol. mal.*  
 matris igitur solius tunc erit alere ejusmodi liberos *§. 3. Insti-*  
*de SCto Orfic. Enenckel. cit. Tr. privil. 7. c. 4. n. 16.* Longe  
 aliud autem dicendum est de liberis ex nefariis & damnatis  
 complexibus ortis, quos leges humanae tanto odio prosequun-  
 tur, ut nec successio nec alimentatio ipsis de jure civili com-  
 petat. *Nov. 89. c. ult. Nov. 74. c. ult.* quamvis hodie secundum  
 juris canonici æquissimam dispositionem necessaria, quæ ab ali-  
 mentis plane diversa sunt, *L. 5. §. 10. & 12. c. 2.* eis ad vitam  
 sustentandam suppeditantur. vid. *cap. 5. de eo qui duxit uxori.*  
*quam poll.* B. Lincke *ad Decret. c. tit.* supra laudati D. Hilde-  
 brandi *Introd. ad princip. Jur. p. m. 456.* Coler. d. *Tr. L. 1. c. 3.*  
 An autem filium naturalem legitimatum pater alere teneatur,  
 haud inepte in praesenti quæritur? Et hoc mihi sine dubio ita vi-  
 detur, cum talis legitimatus liberis legitimis ex fictione juris af-  
 similetur, adeo quidem, ut sicuti legitimi debeant aut rite he-  
 redes institui, aut nominatim exheredari, ita etiam legitimatus,  
 dummodo ad effectum succedendi pater eum legitimari jusserrit,  
 cum æque hoc in casu testamentum possit vel nullum vel inoffi-  
 ciosum dicere. vid. cit. D. Bernegg. *Examen. ad alleg. tit. Inst.*  
*de success. ab intest. qu. 14.* ubi late. Gail. I. *obs. 142.* Igitur  
 cum in omnibus instar legitimi sit habendus, quare non eodem  
 modo consequetur alimenta, sicuti legitimus? ubicunque enim  
 idem adest jus, ibi eadem juris dispositio adesse debet. vid. cit.  
 D. Hildebrand. *Introd. ad juris princip. p. 124. seqq. & 454.*  
 sed cum liberos non solum natura, sed etiam adoptio faciat per  
*L. 1. pr. ff. de adopt.* quæ insimul in patrem adoptantem onera  
 ejus, qui in adoptionem suscipitur, transfert, per *L. 45. ff. de*  
*adopt.* ibique glossa. vid. *L. 5. §. 12. ff. de agnoscend. & alend. li-*  
*b:ris.* idcirco inficiandum non est, quin & alimentationis onus  
 tanquam principale transferatur. vid. *L. 5. §. 12. ff. de agnosc. &*  
*alend. lib.* id quod pariter in filio minus plene adoptato obtinet,  
 licet

Hicet hæc adoptio alias neque patriæ potestatis §. 14. *Instit. de success. que ab intest. L. 8. ff. de R. J.* neque sanguinis aut familiaris jus, sed spem successionis tantum ab intestato transferre conset per *L. pen. Cod. de adopt.* ibique glossa §. 2. *Instit. eod. ibique Dd. Enenckel de privil. parent. & liber. privil. 7. cap. 3. n. 4.* D. Hildebrand *Intro. ad tit. Instit. de adopt. §. 4. L. 132. pr. ff. de V. Orl.* ibique Bartol. id quod pariter locum obtinet in parentibus spiritualibus qui nec minus liberis, quos e sacro baptismate suscep- perunt, alimenta indulgere tenentur in subsidium atque defactum, quando soli parentes naturales haec alimenta præstare nequeunt. vid. Surd. d. tit. qu. 11. Coler. d. Tr. L. 1. c. 4. Enenckel cit. *Tr. privil. 7. c. 3. n. 9.* Sufficiant nunc haec dicta de liberis a parentibus alendis.

## §. III.

Cum autem alimenta reciproce debeantur, & liberorum parentibus, ut & liberis parentum educandorum curam natura inseverit, & recte monente Aristotele parentibus præcipue quibus liberi omnem pietatem, omnem gratitudinem, omne- que obsequium debentur, alimenta sint suppeditanda. *L. 9. Ethic. c. 2.* ideo quoque ordo postulare videtur, ut in præsenti de li- beris agam, qui regulariter patrem inopia laborantem sine di- scrimine sexus ac conditionis alere tenentur. *L. 1. Cod. de alend. lib. L. 8. §. 5. C. de hor. que lib. L. 5. C. de patr. potest. L. 5. §. 13. de agn. & al. lib. vid. Enenckel de privil. parent. & lib. privil. 7. cap. 6. per tot. p. m. 486. seqq. ubi insimul omni jure divino na- turæ, gentium & civili liberis teneri parentes alere, erudite ac nervose ostendit; adeo ut nec foemina ab hoc alendi onere sint liberæ, cuius rei insigne & memorandum Romana illa plebeja quidem sed pietate nobilissima femina præbet exemplum, quæ patrem carcere inclusum propriis aluit uberibus, cum cibaria ei deferre prohiberetur. vid. Plin. *L. 7. c. 36.* Valer. Max. *L. 5. c. 4.**

c. 4. hoc autem ideo fieri debet, quod pater reciproce filias non minus quam filios alere teneatur, per text. exprefs. in L. 5. pr. & passim ff. de agn. & alend. lib. ubi verbum *hoc si quis tam foeminas quam masculos complectitur*. L. 1. ff. de V. S. alias pronunciat sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plenumque porrigitur. L. 52. L. 122. & l. 195. pr. ff. eod. arg. l. 62. in fin. ff. de Legat. 3. Quemadmodum autem alimentorum præstatio ex naturali ratione, non vero ex jure patriæ potestatis proficitur, ideo etiam emancipati ad alimenta patri indulgenda sunt obligati per cit. L. 5. §. 1. & 13. de agnosc. & alend. liber. Carpov. Jurispr. for. P. II. C. 10. D. 29. D. Fichtneri Diff. de Antipelarchia §. 6. quod onus alendi etiam deficientibus liberis, nepotibus, aut fratribus ad defuncti hæredes rectè devolvitur, D. Fichtneri cit. Diff. §. 7. licet etiam pater adeo omnia bona non tantum sua sed et filii pro parte jamjam dissipaverit, quia hic non, quomodo pater ad inopiam, redactus sit, spectatur, sed quod pater sit, & quod egeat, quo in casu adhuc ex fructibus, qui supersunt, est alendus, quamvis tamen hoc in casu bonorum administratione optimo jure privetur. vid. omnino D. Hildebrand. *Introduct. ad Inst. d. Curatoo*, §. 13. p. m. 159. Quæ vero hucusque dicta sunt de patre dissipante, ea etiam quadam eius extendi possunt ad patrem bannitum, seu qui medium capitum diminutionem est passus. arg. L. 73. §. 1. de jur. dot. L. 3. ff. de his qua non script. auth. incestas. Cod. de incest. nupt. Nov. 12. c. 2. nec minus liberi etiam patri excommunicato heretico, aliquis infidelibus alimenta præbere tenent r, cum ea non protinus religionis puritatem, sc̄a ob naturalem æquitatem debeantur. c. 14. X. de usur. ibique glossa. Coler. d. Tr. L. 1. c. 5. supra laudat. D. Fichtner Diff. de Antipelarchia §. 10. Quid autem de patre incestuoso atque adulterino sit dicendum, an & iste a liberis sit alendus, nondum satis est expeditem. Ea vero in hoc passu opinio calculum omnino meretur, quod, quemadmodum filii incestuo-

incestuosis pater de jure can. vita necessaria debeat præstare, per d. cap. 5. X. de eo qui dux. ux. quam poll. B. Lincke ad Decretal. cit. tit. ita quoque filii teneantur tali patri ea exhibere, eum alimenta reciproce debeat, & quæcumque in liberis respectu patris disposita reperiuntur, ea etiam vice versa in patre respectu liberorum, quamvis alii ideo contrarium statuere velint, quod talis pater, non vero filius natus se inquinaverit, id-eoque hujus improbatæ originis culpa patri magis procreanti, quam filii natis imputanda veniat. vid. Bald. ad d. auth. licei C. de natur. lib. nr 3. in fin. verum enim cum talis parens nefarias exercens libidines non peccaverit in filium, ergo nec ei datur poena persecutio, & semper etiam pena cum delicto debet commensurari. vid. aub. omnes peregrini in fin. Cod. commun. de success. quod autem minime fieret, si liberi vel nihil vel parum laeti patrem per alimentorum denegationem vita privare vellent L. 4. de agnosc. & al. lib. cum multo magis liberi ex tali damnatio coitu commodum quoddam præstantissimum, vitam scilicet cuius estimatio iniuste inquit, sint consecuti. vid. cit. D. Fichtneri Diff. de Antipelarch. g. 9. Coler. d. Tr. L. 1. c. 4. & seqq. Insuper etiam liberi quoque incestuosi jus, quod parentibus omnibus supremum Numerus per quartum decalogi præceptum tribuit, per talium alimentorum denegationem non minus graviter violarent, & ita atrocissimas injurias graviori pena dignas committerent. Carpz. Prav. Crim. P. II. Qu. 100. in fin. Quæ alimentatio autem patris iterum cessat, si pater delictum quoddam exhereditatione dignum in filium commiserit. L. 5. §. 11. de agnosc. & al. lib. ibique glossa, aut filius semetipsum alere nequeat, cum paupertas omnem actionem excludat per L. 6. ff. de dol. mal. & non entis nulla sunt affectiones, adeoque nullum est pignus, cuius persecutio denegatur, L. 27. pr. ff. d. noxal. act. L. 143. d. R. J. & quin non habet, quod perdat, ejus periculo nihil sit, germ. Wo Wichts ist, verliert der Kayser sein Recht. Senec. L. 2. debenef.

cap. 15.

*cap. 15.* aut si pater filium honesta quadam arte erudiri non curaverit, cum hoc in casu pater sui officii immemor ac naturalis conjunctionis leges negligens nullum etiam inde capere debeat emolumentum. vid. Coler. d. tr. L. 1. c. 4. Enenckel d. tr. pr. 7. c. 6. n. 29. Alex. ab Alexand. L. 6. c. 10.

## §. IV.

Quemadmodum autem patrem propter aequitatem naturalem alendum esse a liberis in antecedentibus probavimus, ita nec minus liberi tenentur alere matrem inopia laborantem, idque in compensationem multorum periculorum, quippe quae in parvendis, fovendis, curandis & educandis prolibus precipuos labores sustinet, cum infans ante partum matri sit onerosus, in partu dolorosus post partum vero laboriosus, uti loquitur Gregorius in *cap. ult. X. de controvers. infidel.* licet filius sit adulterinus, vel incestuosus, cum alimenta reciproce debeantur; vel mater etiam ad secunda vota transierit, nec possea a marito secundo alimentari possit, cum etiam mater filiam maritatum ad inopiam redactam alere teneatur, nec matrimonium in se modus sit tollendi talem obligationem. Sic & avus tam paternus quam maternus nepotibus alimenta indulget, si scilicet pater naturalis non sit sufficiens huic oneri L. 5. §. 2. s. & L. 8. ff. de agnosc. & al. lib. ita tamen ut principaliter teneatur avus paternus, in subsidium etiam maternus. arg. §. un. Inst. de legit. Patron. tut. Nov. 118. c. 4. & 6. Carpz. L. 16. Resp. 65. n. 7. & 8. Quodsi autem nemo ex ascendentibus & descendantibus superfit vel superfit quidem, sed huic oneri ferendo impar, tunc fratres se invicem & sorores alere tenentur, nullo plane habito respectu sexus, idque propter naturam relativorum. L. 22. §. cam tutor. ff. de admin. tut. L. 73. §. 1. in fin. ff. de jur. dot. L. 20. ff. solut. matr. Auth. post fratres, fratribusque liberos. C. de legit. hered. Novell. 118. c. 3. §. si vero neque fratres, nec quicquam resert, utrum

utrum sint germani, eodem sc. patre & matre geniti, vel consanguinei, ex eodem tantum patre, sive etiam uterini, ex eadem tantum matre nati, adeo quidem, ut & fratribus naturalibus, nec minus hereticis reliqui fratres alimenta denegare jure nequeant, imo etiam fratribus ex damnato (cui scilicet in jure pena est constituta) & incestuoso coitu natis necessaria vitae debeantur, modo tales personæ sibimet ipsis de alimentis prospicere haud sint capaces, L. 73. §. 1. ff. de jur. dot. L. 6. Cod. de serv. & aqu. quia etiam incestuosi respectu reliquorum liberorum pro uterinis sunt considerandi, qui uterini deficientibus fratribus Germanis eorumque liberis admittuntur ad successionem ab intestato, & excludunt nepotes fratris germani, cit. Nov. 118. c. 3. in fin. Stryck de success. ab intest. cap. 4. Art. 1. §. 14. & inde etiam ad onus alimentationis jure tenentur. Hæc ipsa autem alendi necessitas etiam haud immerito ultra fratres extenditur, idque non tantum ideo, quod eadem sit ratio alendi fratrem & fratri filium, quodve sub fratribus appellatione eorum etiam filii intelligentur, verum etiam propter ordinem succedendi, cum fratribus filii & remotiores aliis proximioribus non extantibus sibi invicem succedant, quodve alimentorum ex juris dispositione debitorumonus non minus ex sanguinis propinquitate deferatur, quam successio ab intestato, L. 5. §. 1. ff. de lib. agnos. Nov. 118. L. un. C. de emend. propinqu. sub hac tamen restrictione, ut si hæreditas pluribus personis, quarum non est eadem cum defuncto propinquitas, simul deferatur, alimentorum vivo adhuc dandorum necessitas non ad omnes insimul, sed ad propiorem & cariorem pertineat. Cum autem inter onera matrimonii, quæ marito ferenda incumbunt, uxoris etiam nutritio referatur, commodissimum videtur, hoc loco de conjugum alimentis nonnihil dicere. Sic maritus uxori pauperi, licet adeo nullam dotem intulerit, alimenta præstare debet. Andr. Gail. L. 2. obs. c. 87. & 95. n. 15. modo illa nullam dotem promiserit, alias enim juste alimenta

D

a ma-

a marito denegantur, donec ipsi de dote promissa satisfiat. L. 25.  
 Cod. ad SCt. Vellej. ibique Dd. L. 9. §. 1. ff. de cond. caus. dat.  
 caus. non sec. L. 28. ff. de relig. & sumt. fun. quæ adeo vera sunt,  
 ut locum sibi haud immerito vindicent in uxore, quæ mariti culpa  
 aufugit, & quoad torum & mensam sine solutione vinculi conju-  
 galis est postmodum separata, cum minus per mulierem flet,  
 quod marito obsequia maritalia præstare nequeat, idcirco etiam  
 perinde habetur ac si re ipsa marito inferriat, quia per talem se-  
 parationem matrimonium minime dissolvitur. Carpzov. Jurispr.  
 Conf. L. 2. def. 213. & in Conf. Elect. P. III. dec. 291.  
 n. 162. arg. L. 50. ff. de contrah. emt. L. 39. & L. 121. ff. de Reg.  
 Jur. Quod autem secus est in muliere, quæ absque mariti cul-  
 pa vel ex mera petulantia, vel criminis conscientia abest a ma-  
 rito, aut si mulier adulterii, de quo criminaliter accusabatur,  
 convicta & quidem condemnata fuerit, vel uxor adeo sit ince-  
 stuosa, cum hoc in casu revera nec ille sit maritus, nec haec u-  
 xor, §. 12. Inst. de nupt. & talis uxor adultera vel petulanter vi-  
 vens, divortio per sententiam judicis facto, amittat præter do-  
 tem etiam reliqua a conjugе legitimo speranda commoda. L. 8.  
 §. 3. & 6. C. de repud. Nov. 117. cap. 8. L. 47. ff. sol. marim.  
 Matthæus de Crim. ad tit. ad L. Jul. de adulst. cap. 3. n. 12. Carpz.  
 Prax. Crim. quest. 64. n. 1. Nec minus etiam haec sententia  
 commode extendi potest ad maritum bannitum & excommuni-  
 catum, quiq[ue] in fugam se convertit, cum ex residuis viri bo-  
 nis uxor sit alenda. vid. Schneidew. ad tit. Inst. de nupt. P. 4.  
 n. 37 seqq. horum alimentorum nomine uxor bona mariti pi-  
 gnoris jure sibi obligata habet. arg. L. 18. ff. qui pot. in pignor.  
 hab. L. un. §. 1. Cod. de R. V. & L. 29. in fin. Cod. de jure dot.  
 Mynsinger. observ. 64. Cent. 1. Quid autem de viduarum ali-  
 mentis dicendum, non satis expeditum est inter Dd. intrepide ta-  
 men me ad eorum hypothesin converto, qui viduæ alimenta  
 regulariter ab hæredibus mariti non deberi statuunt, quia vincu-  
 luna

lum matrimonii , propter quod maritus ad alimenta uxori præstanda erat obligatus, in hæredibus cessat, nec minus alias frusta esset introductum edictum de ventre in possessionem mittendo,  
*tot. tit. ff. de ventr. in possess. mitt.* Quodsi autem mulier sit prægnans, aut si alimenta vidua per maritum fuerint legata , tunc ea ex bonis mariti indistincte debentur, sine ulla habita consideratione, an dotem intulerit, nec ne. *L. 1. §. 14. & §. 20. & l. 5. ff. de ventr. in poss. mitt.* Sed, si conjugæ prædefuncto divite inops ac indotata vidua sit relicta, tunc hoc laudabiliter in jure nostro introductum est, ut concurrens cum liberis tribus quartam, quæ inde depauperatae conjugis quarta a Dd. appellatur, cum pluribus portionem virilem quoad usumfructum habeat , proprietate penes liberos manente. *Nov. 117. cap. 5.* vid. Magnif. D. HILDEBRANDI Domini Patroni & Præceptoris venerandi *Introdr. in princip. Jur. p. m. 464.* modo justum adfuerit matrimonium. Carpzov. *P. III. const. 29. def. 6.* Mev. ad *Jur Lubec. P. II. tit. 2. art. 12.n. 259.* & superstes conjux inopia laborebat, ac defunctus fuerit locuples, aut uxor plane nullam vel parvam intulerit dotem. vid. Menoch. *de arbitr. jud. qu. L. 2. c. 65. n. 9.* B. Lincke *diss. de success. conjug. ab intest. per tot.* quæ viduae inopis successio variis modis ab alimentis differt, quod hæc secundum necessitatem ejus, cui debentur, constituantur, sed hæc quarta vel virilis portio datur si ne habito respectu an alimentis sufficiat nec ne , deinde etiam morte alimenta desinunt , sed dicta quarta vel virilis portio etiam ad viduae hæredes post mortem transit. Si igitur viduae inopi vel quarta vel virilis portio semel fuerit soluta, tunc non amplius cogi possunt mariti hæredes , ut quicquam alterius in viduam erogent, cum jamjam portionem ipsi lege debitam acceperit, quæ lex neque maritum, neque ejus hæredes ad ulterius aliquid præstandum adstringit. *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. cap. 5.* Cum autem alimenta reciproce debeantur , & marito incumbat onerum matrimonii serendorum necessitas, ita & ab uxore ma-

ritus pauper alimenta exigere potest. Auth. *Præterea Cod. unde vir. & ux.* L. 29. *Cod. de jur. dot.* ibique Baldus Nov. 53. c. 6. Bardili *Diss. de success. conjug. per tot.* L. 73. §. 4. *de jur. dot.* Bartol. *Tr. de alim. n.* 49. licet vel maritus sit incestuosus aut bannitus per L. 22. §. 7. ff. *solut. matr.* c. 21. *diss. 86.* quia adhuc durat matrimonium, modo non insimul actualiter sit hostis patriæ, quia tunc est poena potius, quam aliquo juris favore dignus, & qui ita hosti alimenta præstat, contra patriam ipsam aliquid committere videtur. per L. 35. ff. *de relig. & sumt. fun.* Zos. *adit. ff. de Posit. n.* 38. Lauterb. *Tr. Synopt. §. 1. n. 9.*

## §. V.

Hucusque actum est de alimentis, quæ ex dispositione immediata legis debentur a privato, non minus quoque alimenta debentur ex facto quodam præcedente obligatorio, & sicuti tale factum duplex esse potest, vel licitum vel illicitum, sive delictum, videbimus nunc paucis, quando propter delictum antecedens debeantur alimenta. Sic vulnerans aliquem tenetur etiam ipsi insimul de alimentis prospicere. L. 27. §. 17. *in fin. ad L. Aquil.* licet alterum quis casu quodam vulneraverit. L. 7. ff. *de his quæ effud. vel dejec.* adeo quidem, ut vulnerato non tantum hisce in casibus resarciat impensas, quas in semet alendo curandove fecit, sed etiam eas, quibus in futuram vitæ sustentationem opus habeat, si exinde inutilis ad operas sit factus. Ord. Crim. Art. 20. Blumacher & Stephan. ad Ord. Crim. Art. 146. Matth. Coler *de Proc. execut.* P. 1. c. 9. n. 50. Quæ sententia ampliatur, ut uxori quoque & liberis aetio utilis adversus occidentem ad id, quod illorum interest, propter difficultatem vitaæ sustentationem, quæ operis defuncti sublevari potuit, competit. Loccam qu. 339. Dn. D. Hildebrand. *Intro. ad Jur. Princ.* p. m. 652. & 662. Mejer *ad pr. Inst. b. t.* Lauterb. *Coll. Pr. ad tit. ff. ad L. Aquil.* *in pr. Coler de alim.* L. 1. c. 16. Sic etiam conjux nocens alteri coniugi

conjugi innocentia, quoad thorum & mensam separatæ, alimenta præstare debet, eum tales quoad thorum & mensam separati, ob reconciliationem inter eosdem sperandam, adhuc maneant conjuges, adeo quidem, ut in effectu matrimonium, nec minus uxoris alimenta & jura marito in bonis uxoris competentia, sint salva, dummodo uxor alimentis mariti contenta esse velit, alias enim restitutio bonorum est necessaria. Harpprecht. *Confil. Tübinger. 66. n. 196.* D. Hildebrand in *Introd. ad tit. Inst. d. nupt. f. 36. p. m. 107.*

## §. VI.

Insuper debentur quoque alimenta ex obligatione mediante facto licto producta, & quidem vel ex negotiis inter vivos v. g. ex contractu nominato emtionis venditionis, si scilicet pretio aliquo reditus ad vitæ meæ sustentationem vel comparentur, vel etiam in venditione reserventur, (inde etiam aliquis vel reservativus vel constitutivus dicitur) Frantz. *L. 1. Ref. 1. n. 15.* & quidem sub hac conditione, ut talis reditus per vitæ meæ tempus duret, qualis reditus vitalitius germanice Leib-Renthen vocatur. Wehner in *observ. vocab.* Leib-Renth. B. Linck in *diss. de reditu vitalitio*, vel ex causa conductionis, qua conductor alimenta præstare quandoque locatori tenetur. Sic qui operas suas alteri locant, ut sunt hodie famuli nostri atque ancillæ, regulariter etiam sibi ratione alimentorum per pacta prospiciunt, & inde gebrödete Hausgenossen dicuntur. *L. 18. ff. de oper. Liber. L. 18. §. 2. ff. commod. Nov. 157. cap. 1.* Inde ordinat. Polit. de A. 1577. §. 1. expresse constitutum legitur: Es soll je de Obrigkeit soviel die Dienstboten ic. betrifft ic. eine Satzung oder Ordnung ic. aufrichten, wie dieselben nach jedes Landes Gelegenheit, ihren Unterthänien gemeinen Nutzen mit Essen und Trinken ic. Bonacossa in *tr. de serv. & fam. qu. 103.* nisi aliud conventum aut consuetudine introductum sit. vid. Coler.

*cit. Tract. c. 13.* ubi insuper de societate universalis, & mandato, donatione & similibus quædam profert. Sed incidenter nunc queritur, an rusticis operas præstantibus domini territoriales cibum ac potum præbere debeant, nec ne? Distinguendum mihi videtur inter operas ex obligationis necessitate præstandas, & tunc rusticæ subditi regulariter istas suo victu præstare debent. *L. 13. ff. de oper. Lib.* nisi aliud consuetudine introductum ut plerisque in locis obtinet, ubi personis quæ tales operas præstant, die Schaar Werk verrichten, vel exigua quædam pecunia, vel saltem quædam portio panis porrigitur; Et inter operas domino sponte a subditis, subjectionis & benevolentia significandæ ergo præstitas, tunc æquum est, ut ipsis a domino cibus & potus præstetur. arg. *L. 18. §. 2. Commod. 2. Feud. 26. arg. L. 5. §. 18. ff. de agn. & al. lib.* Similiter etiam vasallus tenetur alimenta præstare domino suo inopi, *2. Feud. 6. & 26.* cum teneatur omnibus modis promovere salutem domini ipsiusque defendere; qui autem denegat alimenta non promovet salutem, nec dominum defendit, sed multo magis eum necare dicitur *in L. 4. ff. de agn. & al. lib.* adeo quidem, ut, si vasallus hoc officium negligat, ideo possit feudo privari. *Bart. Tr. de alim. n. 45. 2. Feud. 7.* De vasallo autem inope; qui debet propter paritatem rationis a domino feudi ali, vid. *Wesenbec. Tr. de feud. c. 9. & 10. Rosenthal de feud. c. 7. n. 70. c. 8. n. 29. Schneidew. ad tit. Inst. de servil. cogn. n. 10. Schrater in Tr. feud. P. 6. c. 6. n. 15. Coler. L. 1. c. 13.* ubi insuper de mandatariis, sociis, ac donatoribus agit, qui pariter alendi sunt, non tamen donatoris hæredes supervenientes, quippe qui donationem possunt in totum revocare. arg. *L. 8. C. de Revoc. donat.*

### §. VII.

Progredior nunc ad ea alimenta, quæ mortis causa per legatum aut testamentum alicui solent relinquiri. Nullum autem est

est dubium, quin tam in testamento, quam per legata talia alimenta alicui possint relinquiri, *tos. tit. ff. de alim. atque cib. legat.* & ibi Dd. Circa personas saltem, quae talia in testamento possunt relinquere, id est notandum, quod non omnes alimenta valide relinquere possint, sed illi duntaxat, qui habent ex juris permisso testamenti factionem activam. Omnibus autem jura hanc facultatem testamenta condendi permittunt, nisi qui vel ob defectum judicij impediantur, vel ob certam juris civilis rationem prohibeantur, quinam autem tales sint de hac re vid. late D. Lauterbachium atque Dd. *ad tit. ff. qui testam. facere poss.* ut ita alimenta a tali, testamenti factionem activam habente, legata atque relicta ab herede universalis sive unus sit, sive plures, sint praestanda. vid. §. 1. *Inst. de leg. L. 2. ff. de alim. & cib. leg.* qui enim non est honoratus, nec debet onerari, §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideicom.* nisi testator uni ex heredibus hoc onus imposuerit. *L. 16. pr. ff. de alim. & cib. leg.* Interdum etiam hoc onus alendi spectat ad legatarium, si scil. aliquis in proprietate institutus, alteri autem ususfructus omnium bonorum fuerit legatus, quia alimenta ex fructibus praestanda veniunt. vid. *L. 3. ff. de usufr.* *Auth. Novissima C. de inoff. test. L. 19. pr. ff. de ann. leg. L. 17. §. 2. ff. de usufr.* Quemadmodum autem ius accrescendi in omnibus legatis obtinet, si nimis una res pluribus simul & conjunctim relinquatur, & deinde alter eorum vel deficit, vel spreverit legatum, vel vivo testatore deceserit, ita & in hoc, eo tamen discriminé, ut in hoc alimentorum legato non sit opus distinctione, an re, an verbis, an autem mixtim sint conjuncti, ut ita verbis ac mixtim conjunctis accrescat volentibus cum onere, re vero conjunctis sine onere. Majer atque Hopp. in *Comment. ad §. 2. Inst. de Legat.* Sed in hoc legato propter summum alimentorum favorem accrescit indistincte cum onere. vid. *L. 4. §. fin. ff. de alim. & cib. leg.* ibique glossa. Coler. *d. tr. L. 1. cap. 15.*

### §. VIII. Nunc

## §. VIII.

Nunc quoque videbimus, quomodo & quaratione a judice alimenta debeantur. Sic magistratus inopie eorum, qui sibimet ipsis non possunt prospicere, neque ullos habent consanguineos, qui ipsi vitæ subsidia indulgere queunt, succurrere tenetur, cum bona quoque vacantia ad eum pertineant. *L. 4. Cod. de bon. vacant. L. 10. ff. de R. J.* nec minus etiam hoc referri merentur infantes expositi, quorum parentes sunt incerti, inde in bene constitutis rebus publ. magistratus publicus curam habet, quo tales miselli, ne pereant, sumtu publico in certis eum in finem extrectis atque dotatis domibus, quas *Findel* und *Waysen-Häuser* vocare solent, alantur & educentur, uti horum orphantrophiorum exempla habemus Noribergæ, Hamburgi, Amstelodami &c. vid. Sande *L. 2. t. 8. decis. 4.* Fritschius *de jure hospit. p. 3.* Item hoc referendi senes aliqui, qui vel propter ætatem decrepitam, vel ob morbum perpetuum, viatum sibi acquirere nequeunt, quales personæ publicis etiam in locis, ad alendos pauperes destinatis, in denen *Hospitälern Siech- und Kranken-Häusern*, etiam quandoque absque ullo pretio & gratia, si scilicet adeo sint pauperes, ut xenodochio nihil bonorum secum afferre possint, vid. Boér, *decis. 175. n. 6. & 7.* sustentantur. vid. Besold *in Thesaur. voce Spittal.* Quæ autem alimenteriorum præstatio iterum cessat in iis senibus & morbo laborantibus, qui tantum in bonis habent, ut sibimet ipsis de alimentis prospicere queant, inde licet & hi quandoque in talia Xenodochia recipiantur, insimul tamen jure vel pro receptione aliquid solvere, missen sich in Spital kauffen, vel aliquid ex bonis suis secum in Xenodochium afferre tenentur. Sicut nec hoc referendi sunt mendicantes, qui labore quidem aliqua, sed non sufficientia ad vitam alimonia sibi acquirere valent, his enim a magistratu permittitur, stipem & eleemosynam a privatis colligere,

colligere. vid. *Recess. Imperii de Anno 1500. tit. 26.* von denen Bettlern. *Reform. Polit. de Anno 1530. tit. 34.* von Bettlern und Müsiggängern, quanquam novissime per decretum Circuli Franconici d. 28. Jun. Anno 1720. publice promulgatum ad abusum per talem mendicandi licentiam irrepentem rursum tollendum, laudabiliter constitutum reperiatur, ut quilibet provincia suos seorsim pauperes alere debeat, & nemini amplius mendicantium in alterius territorio, nisi exceptis certis in casibus, stipem colligere sit permisum. Multo minus hue spectant mendicantes validi & robusti, qui potius poena quam aliquo beneficio digni, & inde tam olim per *Ord. Polit. de Anno 1530. §. 34. & de Anno 1548. §. 26.* quam novissime per cit. Circuli Franconici Decretum, ad talem mendicandi abusum penitus tollendum prudentissime exstat prospedum. Deinde etiam nec eorum necessitatibus subveniendum est, qui sua culpa ad paupertatem sunt redacti, uti mercatores sua culpa decocti, mutuwillige Falliten, qui merito jure gravi potius animadversione digni, *L. 37. ff. de minor. L. fin. ff. de in Jus voc. Ordin. Polit. de Anno 1577. tit. von verdorbenen Kauff-Leuten. 23.* In quorum tamen numerum minime referre decet eos, qui propter certae religionis confessionem alio migrare jussi. *Instrum. Pac. Art. V. s. quod si vero subditus. 35.* His enim vigore cit. pragmaticæ sanctionis, aut bonis alienatis, aut retentis, ita, ut ea per ministros libere administrare possint, discedere permisum est, *cit. §. 35. Instrum. Pac.* Multo magis ministri ecclesiæ & scholarum, qui per multos annos in ecclesiis scholasticæ docuerunt, ac deinde senio confecti huic gravissimo numeri amplius præesse nequeunt, si postea non habeant, unde se alant, omnino a magistratu sunt alendi; cum hisce omnibus modis de vita necessariis sit prospiciendum. *I. Tim. V. v. 17.* vid. *Coler. d. Tr. L. I. c. 17.* Id quod haud sine ratione etiam

E

ad

482

ad viduas pastorum extendi potest, quibus hodie temporali quam  
dam habitatione, mit einem Wittwen-Sitz, subvenitur. Hinc  
ubique fere locorum in civitatibus certas ædes, germanice:  
**Wittwen-Häuser**, vocatas videmus hisce destinatas; cuius rei  
luculentissimum inter alia videmus exemplum in illustri Republ.  
Norimb. que ita de habitatione viduarum pastorum, vel in veſ extra  
urbem decadentium, prudentissime prospexit, districtu sat ample  
cenobii Carthusiani, vulgo die **Carthaus** dicti, ad hunc finem  
aptato, ubi plerque viduarum commodissime commorari que-  
unt, usque dum vel ſecunda vota ineant, vel mortem cum vi-  
ta commutent. Tales autem ædes, **Wittwen-Häuser**, non fo-  
lum libere inhabitare ſolent, ſed & aliis inſimul locandi faculta-  
tem plerumque habent, ſi vel ipſi inhabitare nolint, vel proprias  
ædes poſſideant. Nec quicquam ad rem facit, quod commo-  
dis habitationis jure ſibi debitæ per elocationem alteri factam  
frui nequeant, cum & viduæ quoque divites anni gratiæ, des  
**Gnaden-Jahrs**, ſint capaces, vi cuius ex ſpeciali gratia princi-  
pis ipſis post mortem maritorum ſalarium & reditus totius anni  
ſequentis confeſſi ſunt, perinde ac ſi mariti adhuc viverent.  
Priuſquam autem ad reliqua progrediamur, non incongruum  
erit, hic monere, quod non ſemper hic annus pro integro ſeu  
continuo 365. dierum decurſu ſumatur, ſed ſapenumero tan-  
tum ſemestre ſpatium, quandoque etiam quadrans indigitetur,  
prout juris eſt & conſuetudinis in qualibet regione. vid. Carpz.  
*Jur. Eccl. L. 1. tit. 12. def. 183. n. 5.* Cothmann. *Reſp. Acad.*  
*46. n. 17.* Dedekin. *vol. 1. confuſt. Theol. P. II. Sect. 2. n. 16.*  
*p. m. 898.* Interim ſapenumero accidere potest, quod ædes  
iſtae omnes jam ſint ab aliis occupatae, quo in caſu proviſores  
Eccleſiarum, die **Kirchen-Pfleger**, viduis aliam domum com-  
parare, veſ pecuniam pro habitatione exſolvere quibusdam in  
locis

locis tenentur, ad quam tamdiu tenentur, usque dum mutatio  
status in reliquo viduarum ordine contingat.

## §. IX.

Posteaquam hucusque de personis, quæ alimenta debent,  
fatis egi, pergo nunc etiam pro instituto meo ad quantitatem, in  
qua alimenta præstari debeant. Ante omnia igitur probe hic  
sejendum est, quod alimenta in ea quantitate, in qua relicta  
sunt, præstari debeant, licet sint majora, quam conditio legata-  
rii postulet, arg. L. 22. §. 1. de us. & Habit. adeo ut nec ulla  
heic loci estimatio obtinere possit, nisi in pecunia numerata fue-  
rint relicta, L. 10. & 12. ff. de alim. & cib. leg. aut nisi de præ-  
teritis agatur. Vid. omnino L. 18. §. 1. ff. eod. Lauterbach. Coll.  
Præst. ad eund. tit. §. 5. Klock. vol. 3. c. 155. n. 185. seqq.  
Menoch. conf. 231. L. 2. Si vero testator reliquerit, quæ vi-  
vus præstabat, tunc licet diversimode præstiterit, attamen ea  
duntaxat sunt præstanta, quæ mortis tempore novissimo præ-  
stiterat, vid. L. 14. §. 2. de alim. & cib. leg. ibique Brunnen.  
Menoch. L. 3. præf. 6. n. 38. fol. 821. Quando vero neque  
expresse, neque tacite determinatum, quantum præstari debeat,  
confugiendum est ad conjecturam voluntatis defuncti. Fræsu-  
mitur autem is voluntate exhiberi id, quod ipse in vita præstare  
solitus erat, scilicet ex causa & necessitate ordinaria, non vero  
extraordinaria, aut ex incerta liberalitate, per L. 10. §. 1. &  
§. 3. ff. de ann. leg. Struv. cit. loc. ita, ut & tunc hæres talia  
præstet. arg. L. 17. §. 4. ad SCt. Trebell. L. 50. §. 3. de Leg. 1.  
Ex quibus nanc satis clare ac perspicue dispalefecit, hoc in casu  
non novissimam, sed frequentiorem præstationem esse atten-  
dendam. Usus enim patrisfamilias declarat ejus voluntatem.  
Mantic. de conject. ult. vol. L. 6. tit. 9. n. 1. Huc quoque fa-

cit & istud, quod verba sint intelligenda, præprimis secundum  
mentem proferentis, mens autem colligitur ex eo, quod fa-  
cere consuevit, ac semper concessio censetur facta secundum  
consuetudinem concedentis: Deinde etiam præsumitur testa-  
tor voluisse præstari, quod moribus & statutis regionis conve-  
niens est, ubi alens agit. Legibus enim patriæ conformem vo-  
luntatem testatorem habuisse dubitandum non est, cum unus-  
quisque erga leges & mores patrios solet & debet esse affectus.  
In obscura itaque testantis voluntate ante omnia patrisfamilias  
consuetudo, dein regionis, in qua commoratur, exquirenda est.  
*L. 50. §. 3. de Leg. t. Struv. cit. loc.* Insuper etiam & ejus ali-  
qua solet haberi ratio, quid cæteris ejusdem ordinis hæredibus  
reliquerit; si vero neutrum apparuerit, tunc ex quantitate pa-  
trimonii defuncti, ejusque in legatarium affectu, nec minus di-  
gnitate ac præsente qualitate, taxatio alimentorum erit mode-  
randam. arg. *L. 3. pr. & §. 7. de pen. leg.* unde longe alter a-  
lendi sunt rustici vel opifices quam Doctores & Nobiles. vid.  
text. expressi in *L. 22. de alim. & cib. leg. L. 14. de ann. leg.*  
vid. *can. 3. dist. 41. Lauterb. Coll. Praet. ad tit. de alim. & cib.*  
*leg. §. 6. Surd. d. t. qu. 17.* Sic quoque in æstimandis alimen-  
tis, præsertim si de alia testatoris voluntate non constiterit, ra-  
tio habenda erit atatis, in qua constitutus est, cui alimenta de-  
cernuntur, atque pro ejus incrementis alimentatio formanda  
erit & augenda, nec enim in pueros tanti sumptus faciendi, quan-  
ti in majores & atate prouectiores. vid. omnino Struv. *S. J.*  
*C. cit. loc.* Vnde etiam & hoc inde colligi licet, quod legata  
propter incertitudinem non statim videntur. *L. 12. de leg. 3.*  
*l. pen. pr. de alim. & cib. leg.* ibique Brunnem. & Zœl. Di-  
gnitas tamen antiqua non amplius attenditur, quoad hoc scili-  
cket, ut omnino in omnibus secundum illam alatur; ejus tamen  
in tantum habetur ratio, ut nihilominus pinguiora alimenta  
dantur,

dentur, quam si alias non fuisset dives, vel in dignitate constitutus. Quamvis autem legata sint strictae interpretationis, attamen, quando in iis agitur de alimentis, quæ summe sunt favorabilia, lata fit eorundem interpretatio. vid. Klock. V. 3. c. 155. n. 193. Richter. P. 2. c. 9. num. 10. Wesembec. P. III. c. 130. num. 72.

## §. X.

Quodsi fundus quidam certus fuerit legatus, ut exinde alimenta præstentur, non solum facultatem omnes fructus exinde percipiendi, sed & ipsam proprietatem legatam esse existimandum. L. 4. ibique Brunemann L. 22. §. 1. de alim. & cib. leg. Nec obstat, quod testator alimentorum vocabulo tantum sit usus, nam modus in favorem legatarii relicitus non videtur legatum restringere, sed demonstrationis duntaxat gratia legato censetur appositus, adeo, ut proprietas nihilominus legata sit, quod probatur ex L. 12. de usufr. ear. rer. quæ usu consum. arg. L. 19. ff. de usufr. ibique Brunemann, Carpzov. P. III. def. 9. & 10. Harpprecht ad §. 21. Inst. de Legat. n. 56. nisi legatarius proprietatis sit plane incapax, ut spurius, cui non indefinite legari potest. vid. Bart. in L. ult. de his quib. ut indignis &c. Porro si pater filio spuriō leget alimenta, jus faltem personale erit. Quamvis igitur magis proprietas, quam usufructus legatus hoc modo censeatur, alienari tamen ea pro lubitu prohibetur per L. 8. §. 15. de Transact. quod & ita extenditur in c. 1 §. 24. ut & permutatio fieri nequeat, quia est species alimentationis. Sed queritur, si tantum non fuerit, natura, ut alimenta præstare queant, an præterea nihil amplius hæres debeat? Resp. Ante omnia esse respiciendum, an fundi mentio ita sit inserta, ut prius ejus, ac deinde quantitatis testator meminerit, e. gr. ex vinea mea decem amphoras vini lego, tunc, quia fundi mentio restri-

etionis saltem gratia adjecta censetur, istud quod non natum etiam non suppletur. Quod si autem demonstrationis gratia mentio ita sit facta, ut testator prius quantitatis, postea vero fundi mentionem injecerit v. g. decem amphoras vini ex vinea mea post mortem do, lego, eo in casu debetur legatum licet fructuum nihil fuerit natum. vid. Dn. D. Hildebrand. *Introduct. ad Princip. Jur. ad tit. Inst. de Legat.* §. 133. p. m. 408. D. Bernegger. *ad eund. tit. Inst. qu. 12.* Cum autem alimenta ex fructibus & redditibus praestanda veniant, capropter pecunia ad alimenta relicta ad honestum lucrum apud certos & idoneos viros ponni debet. L. 79. pr. ad. L. *Falcid.* ex quo inde legatario alimenta praestentur, in dubio enim haec testatoris mens esse presumitur, quod alimenta praestentur ex redditibus pecuniae, non autem ex ipsa pecunia, quod etiam utilius est, quia tunc perpetuo durat. vid. Surd. d. t. qu. 9. & tit. 9. qu. 40. In fundo sub tali onere legato competit alimentario tacita hypotheca L. 1. C. *commun. de leg.* L. 2. §. fin. *de alim. & cib. leg.* ibique Brunnemann. *Mantius decis. Palat.* qu. 21. n. 40. Lauterb. coll. *Pract. add. tit. §. 9.*

## §. XI.

Quo in loco alimenta legatario sint praestanda, si haeres & legatarius diversa habeant domicilia, paucis nunquam quoque in hoc §. dispiciemus. Et quidem, si ea in pecunia sint praestanda, haeres eam tenetur deferre ad aedes legatarii, Bartol. *in L. 1. ff. de alim. & cib. leg.* Si vero in alia quacunque re, tunc si secundum regulam velimus procedere, omnino statuendum erit, alimenta eo in loco, ubi haeres, non ubi alimentarius degit, esse praestanda, per L. 8. §. 9. *de Transact.* Martin. Col. *de alim.* L. 2. c. 3. Quemadmodum etiam, si debitor & creditor sunt diversi domicilli, prior regulariter non tenetur debitum ad domum creditoris portare, sed sufficit, si modo paratus sit in suo domicilio

cilio solvere, præprimis si in obligatione locus non sit expressus,  
*L. 18. pr. de Constit. pec.* Quod si autem ex conjecturis appa-  
 reat, ubi testator voluerit alimenta præstare, erit istius volun-  
 tas ante omnia spectanda servandaque arg. *L. 50. pr. & L. 52.*  
*§. 1. de Judic. L. 47. de leg. 1.* Provisio enim hominis facit  
 cessare provisionem legis. *L. ult. C. de pact. convent.* Et quan-  
 docunque de voluntate testatoris tam expressa quam tacita con-  
 stat, ibi etiam semper præstari debent alimenta, quia voluntas  
 testatoris æquiperatur legi. arg. *L. 19. pr. de condit. & demonstr.*  
 quæ colligitur ex conditione & qualitate personarum. Sic etiam  
 quando alicui subsidia studiorum relinquuntur, debet tale legatum  
 ibi præstari, ubi legatarius literis incumbit, idque propter præ-  
 sumtam testatoris voluntatem. Sed si debitor ac creditor eodem  
 gaudeat foro, tunc debitor in domo creditoris debitum ex-  
 solvere tenetur, ita & haeres, si cum alimentario idem forum  
 habeat, tenetur alimenta præstare in domo alimentarii. *Surd.*  
*et. t. qu. 16.* Igitur cum ex antecedentibus satis constet, quo  
 in loco alimenta sint præstanta, paucis nunc etiam discutiendum  
 restat, quonam tempore præstari ea debeat. Sciendum au-  
 tem, omnes istas res, quæ per menses recipiunt divisionem, re-  
 gulariter singulis quoque mensibus præstandas venire, tales sunt  
 vinum, aqua, frumentum, lignum, & alia iis similia; quod autem  
 fecus se habet in rebus, que per menses divisionem non  
 recipiunt, ut sunt vestimenta, lecta &c. quæ præstari debent,  
 quanocunque necessitas efflagitat, adeo quidem, ut hec nostra  
 juris dispositio prædictis in casibus semper procedat, sive alimen-  
 ta ex dispositione hominis sive legis debeantur, cum hoc in casu  
 optime valeat argumentatio a lege ad testatorem. Et si plures  
 sint obligati alimenta uni præstare, tunc ab altero debentur  
 uno mense, ab altero vero alio mense, ne confundatur eorum  
 præstatio. *Mynsing. cent. 1. obs. 62.* Quæ vero iterum cessat,  
 si ipse

Si ipse testator certum tempus præstationi designaverit, secundum ea, quæ supra in hoc §. diximus; sive istud deinde adjiciatur expressè, sive tacite, quod ipsum colligitur vel ex ipsa regata, vel ex causa, si scilicet testator iussit, alimenta ex frumentis certi alicujus fundi præstari, tunc enim tempus collectioonis horum fructuum est expectandum, quia tale legatum sub conditione, si quidam nascantur, relictum censetur, L. 26. §. quand. dies leg. Secus autem hoc est, quando alimenta fundo non designato debentur. vid. Surd. d. t. qu. 17.

## §. XII.

Progradimur nunc ad effectum legatorum alimentorum, qui se in eo exserit, quod legatario ad persequendum alimentorum legatum variae competant actiones, inter quas primario referri meretur actio ex testamento, qua est personalis, quia oritur ex quasi contractu, qui fit per hæreditatis aditionem, in extraneo, per immixtionem autem in suo. §. 5. I. de oblig. quæ actio ex quasi contractu est rei persecutoria, excepto casu, quo fit mixta, poenalis, & datur in duplum, quod rem & poenam continet. vid. §. 19. Inst. de action. Hæc igitur actio datur legatariis adversus hæredes, vel alias personas oneratas ad legata consequenda. Lauterb. Coll. Pract. ad tit. de leg. & fideicommiss. §. 48. In quam actionem etiam usura & fructus veniunt per L. 8. pr. L. 24. §. 2. de legat. I. §. 19. Inst. de legat. L. 10. de Legat. 2. L. 16. de legat. 3. non quidem a tempore mortis, sed moræ admissæ vel litis contestatae, Carpz. J. F. P. 2. C. 30. D. 20. Berlich. Concl. 19. P. 3. n. 2. licet enim hæc actio per se sit stricti juris, L. 5. §. 7. de eo quod cert. loc. quoad fructus & usuras tamen participat aliquid de actionibus b. f. L. 34. de usur. Compend. Lauterb. p. 418. quæ non a tempore mortis, sed moræ personalis, quanquam mora realis hic non sufficiat, tam judicia-

judicialis, quam extrajudicialis debentur, per L. 32. ff. de usur.  
Bachov. vol. 2. ad Treutl. D. 13. §. 7. lit. b. Dn. Bernegger. in  
Exam. Instit. ad tit. de Legat. qu. 64. seqq. Nec minus etiam  
pro legato alimentorum actio hypothecaria seu quasi serviana  
competit. Sicut enim haec pro omnibus legatis, ita etiam pro  
legato alimentorum, quod non debet esse deterioris conditionis,  
imo favorabilioris esse solet, competit. Prædicta hypotheca au-  
tem constituta est a lege legatarii in securitatem rei legatae in  
omnibus defuncti bonis, quæ deducto ære alieno supersunt. L. 1.  
C. commun. de leg. §. 2. Inst. de legat. Compend. Lauterbach.  
p. 406. n. 8. & p. 515. Res autem ipsius heredis, quas a defun-  
cto non accepit, etiam nullo hypothecæ aut pignoris nexus obli-  
gantur legatario, L. 1. C. Comm. de legat. nec statuendum quo-  
que heic loci est, quod ea ipsa res, quæ legata est, pignoris ju-  
re legatario sit obstricta, adeoque legatarius eam hypothecaria  
actione persequi possit, propterea, quod res sua sibi pignori obli-  
gari nequeat. L. 45. ff. de R. J. L. 33. §. 5. ibi: non intelligi-  
tur quis sua rei pignus contrahere. ff. de usurp. & usuc. Nunc au-  
tem rei legatae dominium recta via & ipso jure a morte statim te-  
statoris in legatarium, si modo ipse postea agnoscat legatum,  
transire patet ex L. 64. ff. defurt. L. 80. ff. d. Legat. 2. De-  
inde etiam pignoris jus ab initio utiliter constitutum extinguitur  
dominio acquisito, nec amplius perseverare potest. per L. pen. in  
fin. ff. d. except. rei judic. Anne vero legatarius pro consequen-  
do alimentorum legato rei quoque vindicationem instituere pos-  
sit, haud immerito in præsenti queritur? sed respond. neg. ra-  
tio est in promtu, quia saltem pro rebus corporalibus petendis  
haec actio competit, in quibus legatarius post mortem testato-  
ris sibi dominium acquirit, L. 80. ff. de leg. 2. L. un. §. 3. C.  
de caduc. toll. secus autem sese res habet, ubi saltem factum ali-  
quod, vel res in genere est legato relicta, cuius dominium in

legatarium non transit, & inde legatario nec rei vindicatio, sed ex testamento saltem actio competit. *L. 30. ff. de leg. 2. L. 9. L. 20. ff. de rei vindicat.* Dn. D. Hildebrand. *in Introd. ad tit. Instit. de Codicill. §. ult. p. m. 442.* Præter eas actio-nes, quibus alimentorum legata petere & conséquiri solemus, et iam per implorationem officii judicis alimentorum legatum pe-titur, si incapacibus ea fuerint relicta, e. gr. spurio aut liberis ex nefariis & damnatis complexibus sive incestuosis nuptiis ortis. *Nov. 89. c. ult.* cum iis tantum necessaria vitæ, quæ ab alimen-tis diversa sunt, ad vitam sustentandam suppeditantur, vid. lau-dati Dn. D. Hildebrandi *Introd. ad tit. de succ. ab intest. §. 22. p. m. 456. L. 17. de alim. &c. cib. leg.* Surd. d. t. 3. qu. 4. Qui deinde judex pignoribus captis & distractis, aut extraordinaria animadversione aliisque peccatis modisque inobedientes solet coer-cere. Enenckel. *cit. loc. pr. 7. c. 4. n. 3.*

### §. XIII.

Præterea hoc legatum alimentorum sequentia habet sin-gularia, quod non possit venditione in aliud transferri, aut alio quoconque modo cedi. per *L. 8. ff. d. R. J. L. 55. ad L. Falcid. num. 2.* cum modus percipiendi alimenta in personis variet, ac unus plus alimentorum, quam aliis absumat, nisi alimentoum certa summa & quantitas expressa est, e. gr. Lego Titio quot-annis decem modios frumenti & tres amphoras vini ali-mentorum causa, tunc jus illud alimenta percipiendi alteri cedi potest, uti erudite tradit Coler. *cit. L. 2. c. 8. num. 69.* nec non de iis summarie levato quasi velo per *L. 4. C. de naufrag. cognoscatur.* Brunnem. *in Process. civ. cap. 1. num. 22.* Bremen *de caus. summar.* Thom. Minad. dec. 3. An vero ali-menta arrestari vel sequestrari possint, de eo vid. Carpzov. *de proc. tit. 21. a. 2. n. 35. 38.* Porro nec appellatio in causis ali-mento-

mentorum locum habet, quoad effectum suspensivum; quamvis alias regulariter in omni causa permissa sit appellatio, adeo quidem, ut ne causae quidem summariae ab ejus beneficio sint exemptae. vid. Mev. P. 2. dec. 364. n. 7. cum sit defensio, quae datur oppressis contra judicis sententiam per cap. 61. X. de appellat. Ratio autem hujus denegatae appellationis in causa alimentorum haec esse potest, quia nullam dilationem recipiunt, ne interim alimentandus fame pereat, L. 4. de agnosc. & alend. liber. L. fin. pr. ff. de appellat. recip. Richter. P. 2. c. 9. n. 10. Klock. vol. 3. c. 155. n. 185. seqq. Quanquam illa etiam in hisce alimentorum causis utique admittatur, quoad effectum devolutivum, & haec juris dispositio procedit, sive de omnibus alimentis agatur, sive de eorum duntaxat parte, e. gr. vestibus &c. quia eadem est ratio partis quoad partem, que est totius quoad totum. Quod vero appellationem attinet, ista sommodo de futuris alimentis est intelligenda, alias enim si pertantur praeterita, omnino erit locus appellationi, quia tunc celsus metus, ne fame alimentandus pereat. Nec obstat, quod causa alimentorum semper sit favorabilis, ac periculum ibi in mora versetur, nam verum quidem hoc est, quando agitur de futuris, secus autem est, si quaestio agitur de praeteritis. Porro nulla admittitur in alimentis compensatio, cum tamen alias in jure compensans solvere dicatur, L. 4. qui potior. in pign. & licet ea etiam in causis favorabilibus procedat, e. gr. in dote, si ea in quantitate constat, L. 15. f. 1. solut. matrim. dos vero & alimenta a pari procedere videntur, nihilominus tamen hoc secus est in alimentis, in quibus compensatio non obtinet, vid. L. 8. in fin. de aliment. & cib. leg. Zanger. de except. L. 3. c. 8. num. 28. Carpzov. P. 1. conf. 8. d. 9. Insuper etiam super alimentis futuris ultima voluntate relictis transigi nequit, nisi praetoris cognitio & decretum intervenerit, ne alimentarius,

modico præsenti contentus, alimenta facile remittat, & postea, contra piam legantis voluntatem ac providentiam egeat. *L. 8. pr. & L. 8. C. de Transact. ibique Brunnemann.* Cognitio vero causa a prætore instituenda venit sequentem in modum. (1.) Observanda causa transactionis, quæ hæc esse potest, si alibi hæres præstandis gravatus, alibi vero alimentarius domicilium habeat, quo casu præstatio alimentorum, præsertim singulis mensibus aut septimanis facienda, multa haberet incommoda; item, si alter eorum nondum transtulisset domicilium, sed transferre vellet, aut si causa urgeat præsentis pecunia v. gr. si alimentarius modica summa prædium pignori datum reliuere possit, ex quo forte plus fructuum percipere potest, aut si plures sint gravati in alimentis præstandis, & difficile sit a singulis exigere, tunc enim præstaret, si ita transfigatur, ut ab uno, aut ex communi arca, sive ex communi prædio hæc prætentur per cit. *L. 8. §. 9.* (2.) Modus, qui consistit in ætate alimentarii, an sit ea junior, an vero profectior, an spes sit longævæ vitæ, vel an alimentarius sit tenuioris valetudinis, per cit. *L. 8. §. 10.* quamvis de ætate nihil certi definiri queat, cum a divini Numinis arbitrio pendeat, attamen in transactione super alimentis ineundus annorum numerus, quibus secundum ordinem naturæ communem quis victurus speratur, solet considerari. (3.) Personæ ratio quoque habenda est, quarum qualitas attenditur, & quidem alimentarii, an totus dependeat ab alimentis relictis, an etiam aliunde vitam suam sustentare queat, & hoc in casu facilius a prætore transactio permititur. Deinde attendendi mores ejus, a quo alimenta relicta sunt, an talis sit persona, a qua in futurum sperari possint alimenta, an vero sit homo fraudulentus alios circumvenire solitus, per cit. *L. 8. §. 11.* Non minus etiam assertio nostra, quod super alimentis transfigi nequeat, tunc limitatur, si causa alimentorum

meliör

oalbom

melior fuerit facta, e. gr. ut quod per singulos annos alicui erat relictum, consequeretur per singulos menses, aut quod per singulos menses relictum, per singulos dies consequeretur, vel si alimenta anno finito praestanda, & ego transigam, ut initio anni praestentur. vid. cit. L. 8. §. 6. & 24. aut denique illud quoque exceptionem admittit, si juramentum transactioni acceperit, quia de jure canonico, quod hoc in passu pro norma scripturam habet, omne juramentum servari debet, quod citra salutis aeternae dispendium servari potest, c. quamvis de Pact. in VIIto cap. cum contingat. X. de jurejurando. Cæterum de alimentis præteritis ex ultima voluntate, licet antea debitum, valide transigitur per cit. L. 8. §. 2. & L. 8. C. de transact. Lauterb. Coll. Pr. ad tit. de transact. §. 20.

## §. XIV.

Contraria denique hujus legati alimentorum sunt regulatiter mors naturalis legatarii, quia hoc ipsum legatum est personale & cum persona extinguitur, L. 4. L. 8. de ann. leg. arg. L. 3. §. final. ff. quib. mod. ususfr. amitt. Interdum tamen fieri solet, ut & duret in haeredibus, vel ex legatarii conditione, si hic non moriatur, e. gr. collegium, civitas &c. vel etiam ex testatoris dispositione, L. 194. de R. J. L. 22. C. de legat. nisi sit jus sua natura non transiens in haeredes, ut ususfructus, qui etiam in civitate per centum annos longissimum vite hominis spatium finitur, L. 56. ff. de ususfr. L. 14. C. de ususfr. Alter modus tollendi tale legatum est præscriptio 30. annorum; quod tempus currit ab initio cujusque anni vel diei, quo ea præstari debuerint. L. 7. §. 4. C. de prescript. 30. vel 40. annor. Lauterb. Coll. Pract. ad tit. de ann. leg. §. 7. 8. Enenckel. cit. Tract. priv. 7. c. 5. n. 11. seqq. ubi plures modos amittendi alimenta allegat.

F 3

CAP.

## CAP. III.

§. I.

**H**Aec tenus expositis quibusdam de alimentis, in praesenti capite, bono cum DEO, de alimentorum aestimatione in deducenda Falcidia sum dicturus. Hæc autem Quarta Falcidia est una e tribus istis legibus testamentariis, uti olim vocabantur, quibus nimia legandi facultas, & licentia coerceretur, introducta a Tribuno Plebis P. Falcidio A. V. 712. inde etiam ipsa Quarta Falcidia est dicta, ex Plebisclito profecta, & quidem principaliter & directo testatorum gratia, ut testamenta eorum fortarentur exitum, heredum autem per consequencias, ne adeundo haereditatem gratis periculum subirent; Igitur licet origine sua sit Plebisclita, lex tamen est appellata, ideo, quod, sicut & alia plebisclita, parem Legibus autoritatem ex L. Hortensia habebat. vid. §. 4. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. Horum autem Plebisclitorum duo duntaxat in jure extant exempla, hæc nostra Quarta nimirum ex L. Aquilia ab Aquilio Tribuno Plebis ita nominata. L. 1. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. §. 15. Inst. de Leg. Falcid. Obtinet autem Quarta detractione non in legatis tantum, pr. Inst. de L. Falcid. L. 1. pr. ff. eod. L. 9. ff. de Test. tut. sed etiam in fideicommissis particularibus, quia horum eadem cum legatis natura est. §. 3. Inst. de Legat. l. 2. ff. comm. de Legat. Harprecht ad tit. Inst. de Legat. p.m. 1151. seqq. quoad interdictum nimirum quod legatorum, & dictam Falcidiā. In universalibus vero fideicommissis, ubi vel pars tota vel quota restituitur, Trebellianica locum habet, licet etiam hæc Quarta in legibus Falcidia appelletur, L. 2. L. 3. pr. ff. L. 6. Cod. ad SCt. Trebellian. L. 2. §. sin. ff. de jure Codicill. hoc autem fit maxime ideo, quia Trebellianica ad exem-

exemplum Falcidiæ est introducta. Imo hæc Falcidia per Senatusconsultum Pegasianum ad universalia fideicommissa fuit producta, juxta historiam hanc in rem ab Imperatore Justiniano in §. 4. 5. 6. & 7. propositam, Vinnius *in sel. Quest. L. 2. c. 28.* Sicuti etiam filio arrogato impuberi injuste exhaeredato, præterito, vel emancipato detractio Quartæ ex dispositio-ne Divi Imperatoris Antonini Piï per L. 8. §. 15. ff. *de inoff. Testam.* præter bona ista, quæ ad patrem adoptivum transflit, competit, §. 3. *Inst. de adopt.* Quæ Quarta juxta veriorum juris intellectum, non est quarta ab intestato debita, sed omnium bonorum. *L. fin. ff. quæ in fraud. Patr. L. 2. C. de adopt. L. 22. ff. eod. L. 1. §. 21. in fin. de collat. honor.* quibus ex locis inter cætera generaliter evincitur, deberi arrogato Quartam ex bonis, quæ mortis tempore arrogatoris fuerunt. Ast arrogatoris tunc universa sunt bona, igitur ad arrogatum universorum bonorum Quarta pertinebit. Franzk. *Exerc. 1. qu. 9.* Nec minus Quarta quædam liberis atque parentibus sub vocabulo Legitimæ, des Pflicht Theils, debetur. *Nov. 18. c. 1. Nov. 115. c. 3. & 4.* quæ tamen a nostra Falcidia longe est diversa, & nisi quoad nomen nihil fere communne habet. Pariter alia Quarta de bonis mariti locupletis uxori inopis debetur, & hæc est Quarta depauperatae conjugis. *Nov. 53. c. 6. in fin. Nov. 117. c. 5.* de qua jam supra Cap. II. §. 4. circa finem. Non autem hic loci operæ pretium esse arbitror, ut quædam in medium afferam de ipsa Falcidiæ definitione, quibus in locis ea obtineat, quibus deinde competit hoc beneficium, vel non? quænam porro ante computationem hujus Falcidiæ detrahi debeant, & quænam imputentur, & quæ sunt reliqua, cum hec omnia apud Doctores ad tit. ff. & *Inst. ad Leg. Falcid.* satis abunde explicata inveniantur. Igitur redeo ad id, quod non solum res corporales, sed & incorporales Falcidiæ

cidiæ detractionem patientur. vid. L. 1. §. 7. ad Leg. Falcid.  
 utcunque res incorporeas legatae, & quævis aliæ, quæ divisio-  
 nem non recipiunt. L. 30. §. 1. & L. 7. ff. ad Leg. Falcid.  
 vid. L. 23. ff. eod. quia & de indivisibilibus & incorporalibus  
 Quarta Falcidia potest detrahi. Ut vero hæc detrac*ctio* rite pos-  
 sit procedere, requiritur præprimis, ut bona, qua Falcidiæ pa-  
 tiuntur, justæ estimantur. Sine hac enim estimatione, ne defi-  
 niri aut inveniri quidem potest quantitas Quartæ Falcidiæ. In-  
 de 1.) videndum, quis estimare debeat, & 2.) quenam res æ-  
 stimari debeant. Quod ad prius membrum attinet, satis pro-  
 babile videtur, quod, quemadmodum hæredes sine judice hæ-  
 reditatem dividere possunt, quæ divisio vix unquam sine esti-  
 matione fit, ita hæredes quoque & legatarii bona defuncti a-  
 micabili quadam conventione estimare valeant, attamen nihil o-  
 minus arbiter Falcidiæ, uti dicitur in L. 12. ff. ad Leg. Falcid.  
 atque judex, uti in L. 55. eod. solet dari, ad ineundam bono-  
 rum quantitatem, tametsi unus aliquod modicum fideicom-  
 missum persequatur, per textum expressum L. 1. §. 6. ff. si  
 cui plus quam per Leg. Falcid. qui non solum ab ipso hærede,  
 verum etiam a legatario & fideicommissario postulatur, alias op-  
 ponere possunt exceptionem doli mali, per L. 12. ff. ad Leg.  
 Falcid. Intra quodnam autem tempus post aditam hæredita-  
 tem talis possit postulari, de eo vid. L. 58. & L. 95. §. 2. ff.  
 ad Leg. Falcid. Quod si autem hæres offerat integrum quod  
 relictum est, atque insimul desideret, cavere sibi stipulatione  
 cum satisfactione legatarium aut fideicommissarium, quanto  
 amplius quam Quarta Falcidia esset, acceperit, esse restituturum,  
 tunc omnino erit audiendus, nec aliud postea dabitur arbiter. vid.  
 L. 2. Cod. de usur. & fruct. legat. ubi insimul indicatur, a quo  
 nam magistratu arbiter debeat constitui, nimur ab eo, qui  
 de fideicommissis jus dicit, ita quidem, ut arbitro dato certum  
 insimul

Insimul diem præficiat, intra quem, etiam altera parte cessante, partibus suis fungitur, per cit. L. 2. ibique Brunnem. Solet quoque ab hærede ceteris denunciari fideicommissariis, ut veniant ad arbitrum, ibique causam agant, plerumque etiam creditoribus denunciatur, ut de ære alieno probent, per cit. L. 1. §. 6. ff. si cui plus quam per Leg. Falcid. Ad judicis autem officium pertinet explorare ea, per qua probetur, quantum sit in bonis, ne alias in potestate hæredis sit, proferre quod velit in fraudem legatorum. Deinde etiam judex ejus rationem habere debet, ut defuncti omnium instrumentorum hæreditariorum & pupillarum quoque rationum, si testator scil. tutelæ obligatus fuerit, legatariis desiderantibus, hæres describendi facultatem faciat. vid. omnino cit. L. 95. §. 2. ad Leg. Falcid. Quod si consisterit Falcidia locum esse, tunc computationem instituat, quæ tamen præjudicare non debet, qui ad arbitrum missi non sunt, per cit. L. 1. §. 6. si cui plus quam &c. Si vero consisterit, L. Falcidiæ locum non esse, tunc hæredem ad usuras & fructus post litem contestatam condemnnet, per cit. L. 2. in f. Cod. de usur. & fruct. leg. Licet autem hodie hæc legatorum præstatio sub cautione a legatariis præstanda ideo rarer appareat, quia hæredes plerumque hæreditatem non nisi sub beneficio inventarii adeunt, & primum quoque venientibus legatariis solvere possunt, qui deinde agere possunt ad communicationem inter se istius quod acceperunt, per L. fin. §. 4. & 6. C. de jure delib. & ita hæres, solutis primum venientibus legatis, ex reliquo Quartam retinere potest, proinde rarer hic casus integræ erogationis legatorum sub cautione accidere solet. Brunnem. ad cit. L. 1. ff. si cui plus &c. n. 2. Quod autem nunc ad alterum membrum attinet, quenam scilicet res aestimari debeant, paucis scierendum, ea omnia debere aestimari, a quibus Falcidia detrahi potest, quæque bonis & hæredi in Falcidiæ imputantur, & aestimationem recipiunt, si qua portio detrahenda minuitur, ut Quarta hæredi debita impletatur, de quibus omnibus vid. D. Hildebrandi *Introductio ad Tit.*

G

Inst.

*Inst. de L. Falcid. aliique Dd. ad eund. tit.* Res vero in hac Falcidiæ determinatione non æstimari debent ex singulari affectione, sed secundum communem valorem, judicio aliorum constitutum, per L. 63. pr. ff. ad L. Falcid. L. 33. pr. ad L. Aquil. sic legato petito per actionem in rem, cum propter contumaciam hæredis in legato solvendo juratum sit in item, ratio Leg. Falcidiæ non ex ea summa, in quam legatarius juravit, haberi debet, sed quanti revera fuit, quod petitum est. Nam id quod pœnæ causa accrebit, in L. Falcidiam non incidit, arg. L. 55. & 82. ff. ad L. Falcid. ubi casus ad illustrationem hujus materiae pertinentes. Similia quoque habemus exempla in L. 60. & 1. & L. 61. cit. tit. L. 1. ff. de in lit. jur. nec minus in servitute legata & jurisdictione, de quibus quidem in se spectatis Falcidia minime detrahi posse videtur, bene tamen si servitus æstimetur, annuorumque redditum ratio quadam habeatur, tunc æstimatione secundum anuos redditus exinde provenientes debet institui, quo facto deinde ipsa Falcidia facili negotio detrahi potest. In alimentorum autem legato, quamvis & ipsum quoad quantitatem incertum sit, non tamen tanti quoque æstimatur, quanti vendi posset, sed Ulpianus longe aliam computationis in alimentis facienda formam præscriptis. Licet enim JCTus Caius in L. 56. ff. de usufr. pro termino vite hominis longissimum in determinatione alimentorum locum invenire haud potuit. Cum vero alimenta relicta regulariter ad totum vite tempus debeantur, igitur certum vite spatiū pro incerto in jure existat constitutum, per Leg. Noſtram. ff. ad L. Falcid. duplex vero hac in lege alimentorum computatio continetur, una Ulpiani, altera, quam Aemilius Macer autor Legis hujus in Lib. 2. ad Leg. 20. hæreditatum suppeditat. Prior Ulpiani ita se habet,

ut

ut si cui primæ ætatis homini usque ad vicesimum annum legitum annum alimentorum relinquatur, quantitas alimentorum triginta annorum computatur, sive homo primæ ætatis vel vi-ginti creditur adhuc vivere per triginta annos, quod item di-cendum de eo, qui intra vigesimum primum annum est consti-tutus. Pone ergo aliquem esse viginti annorum, quia hic ad-huc 30. annos vivere præsumitur, si ei alimentum annum ad decem usque florenos relinquatur, totum legatum erit 300. a qua summa Falcidia Quarta est detrahenda. Intra annum 20. & 25. si quis est constitutus, annumerantur annis personæ ho-noratae adhuc 28. anni. Annam 25. prætergressus usque ad annum 30. vivere creditur adhuc 25. A trigesimo anno usque ad 35. præsumitur quis vixit 22. Ab anno trigesimo quinto usque ad quadragesimum anni computantur 20. Ab annis 40. usque ad annos 50. tot annorum computatio fieri debet, quo-anni ad sexagesimum annum adhuc desunt, sed tamen uno anno remitto, sive non computato, ab annis 50. usque ad 55. com-putantur novem anni; ab annis 55. usque ad 60. computantur adhuc 7. anni; ab annis 60. anni adhuc numerantur 5. Verum cum haec computatio tam laboriosa, quam etiam parum ratione sit suffulta, uti ex Thoma de noxa animal. c. 9. num. 9. docet Stryck. in Uſu mod. ad tit. ff. ad L. Falcid. f. 9. ideo jam pri-dem a foro etiam Romanorum talis computatio receffit, & Aemilius JCTus Macer in cit. L. 68. aliam substituit compen-diosiorem atque clariorem alimentorum computationem, scil. ut hominis vita longissima ad 60. annos durare præsumatur, in reliquis vero infra 60. annum constitutis personis haec compu-tationis annorum ratio habetur, ut legatarius infra trigesimum annum constitutus vivere adhuc præsumatur per 30. annos, ultra trigesimum annum vero legatarius vivens sexagesimum annum attingere præsumatur. Qui vero sexagesimum jam adimplevit ejus vita spatio quinque adraimerantur anni. Haec Aemilius Macri JCTi computatio sicuti Pandectis inserta, qua ad-

hoc hodie propter liberam earum in Germania pededentim sat  
 etiam receptionem, usum suum in causis, ubi per consuetudines  
 vel statuta contraria ipsis derogatum non est suam obtinet fir-  
 mitatem, ita & haec ab usu fori nondum recessit, non obstante,  
 quicquid etiam de hac computatione, & de arbitrio boni viri  
 tali in casu instituendo sentiat Gœnweg. ad cit. L. 68. quia  
 potius tali in casu ubi legata annua erunt relicta, & tamen  
Quarta Falcidia est detrahenda, tam necessaria quam utilis ad-  
 huc hodie esse potest haec computatio, ne judex, qui custos de-  
 bet esse legum, a tramite legis prescriptæ aberret, & conjectu-  
 ris cerebrinæ æquitatis seducatur. Gail. Lib. 2. Obs. 8. n. 4.  
 Brunnem. ad cit. L. 68. n. 8. ubi ad alios casus similiter hanc  
 computationem extendunt Meyer in Collegio Argentor. ad tit.  
 ff. ad L. Falcid. n. 18. Glossa atque Bartolus ad cit. L. 68. Sic  
 quoque si reipublicæ ususfructus sive simpliciter, sive ad ludos  
 legetur, 30. annorum computatio fit, ut scil. aestimetur, quanti  
 fructus in hoc tempore valeant, ut exinde falcidia detrahatur,  
 non autem ut finiatur ususfructus, durat enim 100. annos.  
 L. 56. de usufr. L. 8. de us. & usufr. leg. L. 23. in pr. Cod.  
 de SS. Eccles. Coll. Jur. Argent. ad tit. ff. ad L. Falcid. Hæc  
 pro ratione nostri instituti sufficient, ubiorem enim & ulterio-  
 rem hujus Legis illustrationem in aliam forte commodiorem  
 occasionem reservo. Tu vero B. L. laborem hunc æqui boni-  
 que interpretare, & si quædam minus juste tibi posita videbun-  
 tua, a me nihil humani alienum esse tibi persuadeas, sin autem  
 aliqua bene, divinæ tribue clementiæ, cui sit Laus, honos  
 & Gloria in sempiternum.

ERRATA. Pag. 5 lin. 30 pro Bruckm. pone lit. P. p. 6 l. 11. del. lit. I.  
 & pone Cod. p. 17. & p. 23 pro lib. lege cib. l. 23. post l. 16 adde Codic. ead lin.  
 pro Carpz. lib. 5 leg. D. Harpprecht. Cons. p. 8. lin. 8. pro L 3. pone L. 1. 7. pag. 20.  
 lin. 9. del. cap. 2. & pone de agnosc. S. al. lib. p. 21. §. 3. l. 5. pro debentur leg. debent.  
 pag. 27. lin. 27. pro alterius lege ulterius.

Quam

**Q**Vam Quartam capit hæres, est Fal-  
cidia Juris :  
Quam Tibi Jura dabunt, præmia  
sunt Themidis.

gratulabunda manu menteque  
scribebam

JOH. GEORG. FICHTNER, D.

**M**Ajorum mores imitatur vivida Virtus  
Nobilis agnati', quod dissertatio præfens  
Omnibus ostendit, nec non conflictus eorum  
Qui contradicunt scriptis, ex affe docebit ;  
Gratulor ex animo de dignitatis honore,  
Atque preces fundo, Zephyro spirante secundo,  
Officium spondet tibi mox laudabile virtus.

*Hecce*

*Prænobilissimo atque Consultissimo  
DOMINO DOCTORANDO  
gratulabundus apposuit*

Carol. Mauricius Hoffmann / D.

G 3

Wen

**M**en Eugend, Fleiß und Glück zum Ehren-Tempel führet,  
Dem bleibt zum Gewinn der **Hohen** grosse Gnad.  
Er blüht und bringet Frucht, die keine Faulnis röhret.  
Das Vatterland genüst, was Er gesammlet hat:  
So steig **Berneggers** Glück, der Sich dem Fleiß gewehet,  
Er finde höchst vergnügt, was Er mit Müh gesucht;  
Der Eugend edler Saam, auf Hoffnung ausgestreut,  
Bring Ihm im Vatterland die angenehmste Frucht.

Mit diesen wollte dem Herrn DOCTORANDO  
als seinem werthestem Freunde bey dem  
gelehrten Specimine Dissertationis Inaugu-  
ralis, aus ergebenem Gemüche gratuliren

Dessen aufrichtigster

FRANCIS. BERNH. Panzer / J. U. Ltus.  
Dicast. Supr. Sulzbaco-Palat. Advocatus.

**M**ein Freund / weil dieser Tag Dir eine Crone giebet,  
Die Dir vor langer Zeit mit grösstem Recht gebührt,  
So dencke, daß darum Dich Pallas also ziert,  
Weil Du die Studia beständig hast geliebet:  
Dies ist die erste Frucht vom embigen Bemühen,  
Die wird viel andere in kurzem nach sich ziehen.

Ziemt wollee dem Herrn LICENTIATEN  
Glück wünschen / und sich dessen  
feineren Gewogenheit empfehlen  
Dessen ergebenster Diener  
P. GERIKE. Med. Cand.

**D**Extra fidesque manent, licet absint corpora nostra  
Fœdus amicitiae nostræ durabit in ævum  
Omne, nec id solvent longa intervalla locorum  
Abscedens oculis memorem tibi spondeo mentem,

Hoc

Hoc satis est, meminisse sui constanter amici,  
Nil superest, nisi vox hæc ultima, vive valeque,  
Inque dies opto felicibus utere fatis,  
Quosque petis Gradus fors fortunata secundet,  
Votis & fatis DEUS addat pondo salutis.

*Ita singulari suo Amico animitus  
gratulari voluit*

DANIEL GOTTLIEB PIETSCH, Regiomontano-  
Borussus. J. U. Candid. Opponens.

**E** Vadis Doctor? grator TIBI suavis Orestes  
Naviter heu! studiis sic vigilasse juvat.  
Annuat huic Titulo Supremus Rector Olympi,  
Ut posthæc Tibimet prospéra quæque fluant.

Ita Consultissimo ac Doctissimo DNO.  
DOCTORANDO in absentia gra-  
tulatur, ac honoribus Doctora-  
libus applaudit.

B. V. STISSE R.  
Guelferbytanus.

**P** Arcite, Natales, priscos memorare triumphos,  
(Quos meritum ferrum sparsaque cæde manus:) Odit & insequitur tales Astræa tumultus,  
Huic Laurus, blandæ pacis amica placet.  
Cujus honor perstat, sua gloria durat in ævum,  
Atque annis superat prisca tropæa Ducum.  
Te quoque Musarum Spolium laudesque manebunt,  
Et cinget meritum læta corona capit.  
Patria quæ meritos Tibi jam meditatur honores.  
Ibit in amplexus Te veniente Tuos.

I fe-

I felix tandem laudesque extende Tuorum.  
Majorum titulis adde decusque Tuum.  
Linque domus nostras, carosque invise Penates.  
Jam faustas Fati suspicor ire vices.

*Hisce memoriam sui commendat*  
G. L. HOFFMANNVS,  
Norimb.

**I**nfinuata meis est sensibus alta Voluptas  
Ex BERNEGGERI doctis sermonibus oris,  
Sors Alimenta dabit, nec non laudabile minus,  
Tempore sponsa brevi larga cum dote sequetur,  
Hec tria Virtutum sunt præmia, palma laborum,  
Sic compensatur studiorum impensa tuorum.

Hæcce pauca Nobilissimo nec non Erudi-  
tissimo DNO. LICENTIATO gratula-  
bundus adjicere voluit,  
ad omnia officiorum genera  
paratissimus

GEORGIUS AVGUSTVS DE LERSNER,  
Moeno - Francof. Opponens.

**C**ingis honorata Themidis TVA tempora lauro,  
BERNEGGERE, TVAE spesque decusque domus!  
Gratulor egregium specimen; TE gloria FRATRIS  
Excitet, et meritæ præmia laudis alant.

*Ita*  
*Honoratissimo Dno LICENTIATO*  
*gratulabundus*  
*applaudere voluit, debuit*


JO. LVD. CAROL. SCHELHAS, Jen. Opp.



Alt dorf, Diss, 1720-21

X 2344230





208

7  
1120,1  
1

*P. D. B. V.*  
*DE*  
**ALIMENTIS,  
EORVMQVE COMPV-  
TATIONE**  
**IN DETRAHENDA Q. FALCIDIA**

*OCCASIONE*  
*L. 68. ff. ad L. FALCID.*  
**MAGNIFICI**  
**JCTORVM ORDINIS**  
**BENEVOLO PERMISSV**  
*AD DIEM XIX. NOVEMBR. MDCCXX.*

**PRO LICENTIA**  
**SVMMOS IN VTROQVE JVRE**  
**HONORES CAPESSENDI**

*DISPVATAT*  
**JOHAN. ERNESTVS BERNEGGERVS**  
**OHRINGA - HOHENLOICVS.**

*ALTDORFI*  
*LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.*

